

L A C O N

38

S E V

D E

R E I P V B L I C Æ

rectè instituendæ.

A R C A N I S,  
D I A L O G V S,

Scriptus

à

C A S P A R O S I E M E K

*Si te deseruerit Respublica, in qua natus es, totius  
mundi Senatorem age. è Stoicorum Decretis.*

C R A C O V I Æ,

*In Officina Matthiæ Andreouiensis, Anno*

*Domini, 1635.*

38.



EXXVIII 23

*Ut caelo nitido cum sydere Cynthia fulget  
Sic. Domus in nostro Tarnouia imperio.*

*Illustriſſimo & Magnifico Heroi & Domino,*

D. MICHAELI  
STANISLAO  
COMITI TARNOVIO,  
Domino & Patrono Colendiſſimo.

CASPARVS SIEMEK S.



*V*mini tuo tanquam Numini, mea dedico, vt  
tua ſint; ad cuius aram pulchrius ſuſpendi,  
poterāt, vbi omnium demiffi faſces? Digna  
tua Domus magnis noſtrorum officijs, quæ  
patriæ tantum contulit beneficij, & protulit gloriam. Pri-  
uatim, & publicè celebranda eius amplitudo, quæ diſfluxit  
in omnes, heroicis imitamentiſ. ſed ſatis fuit, quod Turki-  
cam inhibuerit rabiem. ne capta Theodoſia, & Capbenſium  
ora, vltiora iſta vomigo auderet. tanquam vltra vallum  
non poſſet, virtutiſ TARNOVIAE. vetuſtae inquam,  
cum victor, Patronuſ victorum manebat, vt Walachie  
TARNOVIVS. quam coercuit eandem à Tyranno  
protexit, quam virtutiſ veſtrae acquiſiuit, importuna inui-  
dia vel impar aliena æmulatio deinceps perdidit. Ma-  
gnum lumen, vel ipſa lux TARNOVII. Orbis Polo-  
nici alterum luminariuſ, cum deſciceret alteruſ, cuiuſ lu-  
minæ

Præfatio.

mine satus, & libertas Patriæ fatali Poloniæ malo, servata, vindicata; vindice Cruciferorū. Tuæ Domus præter laminare, perpetui luminis sydus, immorituræ gloriæ Symbolum, aut index. altero superat omnes, alteri pauci æquatur. quicquid cœleste, vestrum est; terreni orbis arbuta, aut inquinamenta terræ, cæterorum. Magnitudinis in Græcia, id fuit monumentum, Romanis vsurpandi exemplum. Fata ab omnibus lumine seiunxerunt **TARNOVIOS**. Nec prius luminosi quam luxerunt, aut magni, quam ingentia ambirent. nec potentes antequam magni, non ex potentia amplitudo, ex virtute utrumque. Nondum pleno lumine, supra nostrum Horizontem, integro in Hispania luxit, cum Mauricas tenebras Regis Lusitanie auspicijs, sed suâ virtute depelleret. Ardui magna pars operis, pro Hispaniæ securitate Orbis Christiani commodo, & augmento **TARNOVIVS**. Processit in ortum motu suo, vel iuxta Astronomos proprio; inclaruit hæc Cynthia, & composuit Mercuriales turbines, ne aspirarent omnibus, nemini sincere. Iugulavit vim Gorgony capitis, & sustulit pericula, Poloniæ dum occulta iniquiora. Hæc huc vsque virtus formidine Dacis, ut magna solet, tametsi rarius, quam Phœnix regeneretur, sed tutius credere, quàm supremum discrimen experiri incautè. Quod bellum ijs ex frequentibus magnisque, quæ maiores nostri gesserunt, sine vestra virtute? aut gloria victoria nota

Præfatio.

ria non à **TARNOVIIS** potior & sufficiebat, namquam de decus, quod unum ex Duce, victoriosissimum Boleslavi Krywousti Regem peremit. Scipiones auspiciati Romanis, nobis **TARNOVII**. Hoc datum lumen Poloniæ ut numen; ut orbis hinc luminari attributus, hic nidus aquilæ, huic virtuti, quæ excubante silebant vultures regni uori. Sexcenti anni propagatæ memoriæ fulgoris vestri: cum primò, sed non primum plenilunium lumen **TARNOVIANÆ**, tanquam magnum non annotari non potuit. fulserat prius, tum, de suo lumine largita cæteris, nec attenuata quamquam ditasset multos quæ de re hallucinantur vernaculi scriptores. alij Germanos peritia linguæ sequuti, materiam paratam sed infidam. alij antiquitatis domesticæ incuriosi, prætermisere magna, obuia & vulgata notantes. verum Domus vestra prius liberalis, quam quæpiam sufficiens. de hac affirmant omnes, de cæteris traditur. Verbo hoc luserunt scriptores, ut de incertis utrinque caute ne affirmarent, abnuerentue. Recentes nostri annales; defectu scriptorum, aut iniuriâ vetustatis, quæ prodiderat veritatem, sed publico hausta infortunio, cum Rege ad Warnam perierunt. ingenti rerum sciendarum damno, & nobilitatis præcipue postliminio. Resumpta, quæ priuatim notauerunt non nemo, Dlugossij præcipuâ & non segni operâ, sed tardus conatus magnitudine rei imperfectus, aut curæ regionum filiorum obligator

Præfatio.

atior pleraque attigit. vix pauca debite. desiderata com-  
 plentur, curiosis temporibus; cum superbiâ insolescit noui-  
 tas, & generositati contumelia grauis. Utinam quanto-  
 cius receiptet, lumen suum, Luna vestra, quæ dispar lumine,  
 sed essentiâ constans, interuallis silet, vt habeant campum  
 alienæ virtutes, exerceat quæ quisq; potest, & si potest ex-  
 periat. vana eorum spe, vestra manebit. quæ, sæpe in-  
 dubitatum fuit publici iuuamen. Reuirescent Musæa,  
 refouebit Luna æstiuâ. æstu solis lassata, algore; hybernis  
 frigoribus emorientia tepiditati viuificabit. Radijs, aut lu-  
 mine virtutis vestræ, musæ & musæa augustior, vestram  
 in gloriâ remeabunt. satis ea de re monumētorum. Quot  
 Tarnouijs? aut Wisnicijs? alita quæ illustrarūt Poloni-  
 am ingenia? inde & æmulatio, pariter inter Lascos, To-  
 miciosque. sed Tarnouij virtute ingeniorum celebri-  
 res. Digna virtus vestra fouere ingenia, gloriæ, immori-  
 turæ bases, nec potest non venerari qui meruit gloriam.  
 Quot bella & victoriæ nostris, pars eorum virtus vestra,  
 vel imminuit dedecus, si aliqua clades. non immorbor sin-  
 gulis, ne deseram omnia; exteris annotandi ea potior cura,  
 incuriosis nostris, occultis, aut apertis causis. Solimanus  
 ille prudens sui temporis bellator, vos inter cæteros Christi-  
 anorū Duces, potiores celebravit. Quam multi euauerūt  
 vt fumus, aliqui aruerunt vt flores, magni huc vsq; & vbiq;  
**TARNOVII.** Mensura vestræ magnitudinis superat  
 omnes,

## Præfatio.

omnes, quæq; est reliquorum, rei, Oberstinensis prælij gloria, sufficiens argumentum. Maius, & cruentius ad Grinewaldum præliū, sed victoria Oberstinensis potior: quippe Germanorum duplo maiores copiae, ad Grinewaldum, quintuplo Dacorum validior manus ad Oberstinum, nostrā. Fructus victoriæ utrinq; par, prioripax parta, & vindicata Prussia, posteriori enituit gloria, & receptum Pokucie. Quid hoc e quo loco deinceps Turcorū Tyranni nostros poneret, hoc ultra omnia; & cum nostrā nationem tantifecissent, plurimū **TARNOVIOS**. Fausta quæq; & aduersa, bellorū Ducis fortunā aut imprudētiā, falso vsurpat miles, magnus & parvus exercitus, Ducis ex ingenio, ab eo robur aut infirmitas copiarum. Dux iater id temporis orbis terrarum primos habitus, & censebatur. Ungaris etiam auxilio desideratus, ut rebus par, dum illi impares periculu; & præsciū rerū, vel suæ fortunæ præsagus, prudens in bellis committendis Solimanus, victoriarum suarum cohibuit cursum, reducto exercitū antequam venisset **TARNOVIVS**; non nesciū Ducis ingenū fortunāq; magnitudini copiarū præferri. Erat quippe Tyrannus in consiliegendo, acie circumspectus, nec ita audax ut vinceretur. Quis me dicet in eius laudibus nimium e vel a sentior mortuis? fecit Respublica, quod vlli secūdo, cum illum publica contributione ornasset vel auxisset, ut antea non viam virtutem: & quod auctz publici gloria, domesticas facultates imminuerat. Bello, milites ditiores, Dux glorio-

sior

Præfatio.

stori fieri debet. Enant qui certarent opibus, facilis hac viâ  
superari, bellica gloria certare ausus est nemo, disspares opu-  
lenti gloriosos, vt ab improbitate virtus. Tua inde decora,  
dum Domus vestra. Non cōmemorabo cōmunia, satus cum  
dixero gloriosæ, dixissem animosæ, Et hoc vsurpatur nomē,  
nec hoc tempore seiunctum à fastu. Vis fortuna vestra  
viget. Cum metuebatur natura interregni, tēporibus ad-  
uersis, in te virces terræ Sandomiriensis cumulatae, vestro  
inquā lumini, Et bono omine. Etenim quiuis Palatinatus,  
habet vnā vt florē familiā vestram Sandomiriensis Rei-  
pub. communem; sed non bene vsurpatur quod publicū est.  
Nuncium quoties, Et quam grauius egisti et si responderet  
tantæ auctoritati nomen: Ephori sunt Spartanorum, aut  
Romanorū Tribuni. Utinam semper Ephori; non semper  
Tribuni, curā priuatorum seditiosi, tam præclari non de-  
formaretur amplitudo. Tunc si adduxero multas Et hero-  
icas virtutes, quid hoc est nisi exprobrare tuis, quod talibus  
careant. vna vestra Domus, cōmunes igitur omnibus vobis  
virtutes Et decora: cumulata in te quia spebus vanis irfa-  
mi gratia, onerosis beneficys, vacuus, quo integrior Patriæ  
maneres. Omnia maiorū ornāmēta iure hæreditario posse-  
disti, vel suxisti. Pater, Auus, Proauus, Et longa maio-  
rum series, nemo vt mediocri cognitus, traditusque, ma-  
gni omnes. Animus, fortitudo, comitas, constantia  
Et si quæ externa, ad magnitudinem pertinent, pariter  
Tibi quæ maioribus, eo magis insuperabiles estis quia  
non opi



## Præfatio.

non opibus cæpisti, sed difficillima æmulandi materia: quia  
nō interrupta & constans vnū magnitudinis supplementū  
est ad vetustatē. Quæ prima mundi nobilitas, hoc stemate  
redimita, aut hæc vestra est, aut exëplo huius inter Sarmat-  
tas prima. Reputato tecū quot haustæ aut exhaustæ sunt  
familie? & quarū nulli aut sine precio posteri, quorū vetu-  
stas ingēs & maiores nō inglorij, sed obliterati. Ne fortune  
aliorū illudere videar, me apotius quā aliena, assumā. nulla  
improbitate vel desidia, amore publici & libertatis, eo fortu-  
na deuenimus, qui olim potentissimis æquales, in Matthia  
Palatino Posnaniēsi & Ioanne Brochouicijs, Petri Pala-  
tini Cmcouiensis Filijs, desijmus, cōfiscatis bonis necati, & e-  
uulsi. Si supra assensum fatorum vis humana potuisset, nō  
fuissemus. En habes Asiæ & Regni Persici decus roburq; ;  
antequam vi Calipharum ad Iazzigas pellerentur. Actu-  
arij nostri, ambiguas huius rei attulere causas, veras non  
assecati, sed esse suspicabantur. Recenter quot, & quantæ  
perierunt familie. fuit, est, eritq; vestra; ista, seiunge in  
multas familias. Me exëplo Apellus exanui, qui in scuto  
Mineræ idem fecerat, cum Dea diutius mansurus. vt in  
Luna vestra, integrum resumat splendorem, reuiuiscerent  
ingenia, sine quibus, quælibet res publica feralis. Vbi sunt  
Lascij, vbi Kmitæ, vbi Tomicij, ingeniorum Mæcenates,  
vos vt potiores fati eo deputati. Tibi, id est TARNO-  
VIO, fatū ingenij mei dedicatum offero. Recipe arcana  
recte

## Præfatio.

rectè instituendarum Rerumpub: institutarum alia sunt  
& privata: illa communia præceptis continentur, hæc ingenijs complectuntur. qualibet Rerūpub. huius generis necessitatibus accommodet sibi ingenia, secus, non mansura. Erecto animo leges, Poloni iste labor est; qualiscunq; Alij, aliena tantum probantes, se ipsos contemunt; Sapienter id, si absq; aliorum contemptu: seipsum quisq; sapienter cōtemnit, superbe alios. Tu frui amplissima Domus Tuæ innatâ prudentiâ, & comitate. Polonorum ingenijs oblectando, vel ubi non satis culta, expoliendo. Dat die 16. Februarij Anno Dñi 1635.

## Ad Lectorem.

NON obiter legas, ne obiter scripsisse, videar, quæ scripsi; rem scripti, non rapiēbar verbis, & quæ venustatem afferrent, neglexi, imò contempsi potius. Non ego alligatus verbis, illa in mea potestate, si res sine verbis explanari posset, fecissem. Non curo ut sonarent, magnum & foret satis, si valerent. Displicet, ut rerum, ita & verborum luxuria. Si obiectas aliena? quis non alieno dituit? maiori piaculo eripiuntur Regna. Quæ scripsere alij, utenda reliquerūt, & voluerunt etiam. Si dixeris esse mea, durus es. quæ iniquitas temporum, aut veri odium! non intendas invidiam, tanquam alienis, facilius protegat. Tu humanus es, dum dicis, Scriptum hoc, multorum arbitrium auctoritatum, decretorumue, quæ sanxit Antiquitas. Stoici? imo orbivniuersus. Errata superfluis, aut omissis literis tua beneuolentiâ supple- reliqua ut annotatum insine.

M. IOANNIS CYNERSKI  
RACHTAMOVJ  
Coll. Min. Ordin. Eloq. Profess.  
InLaconem.

*Nobilis ac Generosi Gaspari Siemecci*

ODE TRIC. TETR.

F Aucte linguis, Cæsar adest, adest  
Augustus, æri consilio potens,  
Potensque secretissimarum  
Artium, & imperij sagacis.  
Istas in oras Sarmatiæ, ac prope, ab  
Imis Barathri faucibus, hospitem  
Exciuit impigrum SIEMECCI  
Ingenio generosiori  
Camæna solers, deque bono rei  
Communis, aptè finxit in ocio  
Deliberantem, Quis Tyrannos  
In pedicas agat irretortas?  
Quis regna tandem dissociabili  
Frangat rotatu? quæue proteruiz  
Origo? quis furor potentes  
In Dominos acuisse ferrum  
Scelestæ cogat mancipia? aut iugum  
Quæ plebs rebelli concutiat manu?  
Quæ gens seueræ (si resistas)  
Impatiens Dominationis?

Vt floreat regnum imperiosius

Musis: vt altè proruat omnia

Luxus: per immanes hiatus

Vt male sana libido habendi

Opes resorbèat: vt noceat sibi

Vis consilii expers: vtque sibi astruat

Confusionem Principatus

Qui bona despuit æquitatis,

Victoriarum, proh nimium insolens?

Quæstusque, luctusque, & gemitus graues,

Fraudesque, vimque inauspicatam

Insidias sequiturque turpes.

O lux amæni, ô corculum Apollinis

Antiquitatis prodrome, & arbiter

SIEME CCE cultioris; Ergo

Perge potens operosiores

Nobis Mineræ diuitias tuæ

Perauspicato fundere flumine,

ARCANA RERVM PVB LICARVM

Principibus placuisse doctis

Debent: profundæ namque scientiæ

Momenta pandunt, atque opulentiam

Sententiarum perbeatam

Eloquio referunt acuto,

Historiarum ritè capacium

Verbo subinfers sæpius vnico

Molem laboriosiore,

Tanta tibi breuitatis aptæ

Et tanta doctæ Cura loquentiæ.

In lucem amænam Tarnouizæ Domus

Erumpe felix, Luna porgit

Lumine ytroque serenitatem.



ARCANORVM  
REIPUBLICÆ,  
Dialogus Pròemialis.

**M**ULTA plerisq;  
conficta, quia non ab-  
surde: laudantur. Lo-  
qui animalia incōgru-  
um, sed finxisse vtile.  
vsq; ad aureos asinos  
descendum. Arcana ista, faciendi quæ re-  
cta: aut amouēdi si nocent, suggerunt mo-  
dum. Palam, & tanquam insidijs quæ ad-  
uersa humanitati petuntur: vt resarciant,  
collapsa, aut quæ oppressit nouitas. vel  
B hoc

hoc potius dixerim. Non seculum; ho-  
mines corrumpuntur. Suopte ingenio ma-  
li nascimur, vel efficimur; nascimur meli-  
ores: Deteriores, vbi magis contemnun-  
tur artes, ingenij & humanitatis, prima &  
maxima subsidia. Non ille inutiles, qui si-  
ne illis, inutilis est. Promptum ad hoc in-  
genium, & non ad aliud; tanquam ad sa-  
pientiam, ordinauit nos natura, vt curiosi  
• Diuiniorem faciamus. Graue nationi, aut  
• homini vitium, quę, antequam sapere, didi-  
• cit contemnere. leuius, non concipere; de-  
• fectus iste virtutis. Quippe, contemnere,  
artes, prauitas, & flagitium. Miratrix na-  
• tura artium, vbi primum incognitę vene-  
• rint. labor displicet, vbi socordia adulta.  
Initium à potentibus mali, qui per socor-  
diam imperiti, & literarum rudes, vi, & in-  
iurijs famosi despiciunt sapiētes. si colant,  
ne despiciantur. Sed vi diuitiarum hone-  
stior sapiētia, & validior aduersus vtramq;  
fortunam: hoc vnum alienum, & displi-  
cet.

cet. cætera concupiscuntur: Forte, quia  
ita nostra, vt nobis eripi nequeant, aut ha-  
beri per socordiam, vimque. Facile discer-  
nas, hos Diuinitatis ofores. fortunę lusus  
sunt, vel mancipia, sonori, sed sine pōdere,  
in rebus que ingenio geruntur, vt cuncta,  
publicè. quas, non ope, sed opibus confi-  
ciunt, honestam se, aut omnes, iuuandi nō  
habentes rationem, & leuioribus impen-  
sis, periculisque. Virtute non auro vindi-  
canda libertas, vetustatis edicto. Varij per  
orbem terrarum motus, diffidia, seditio-  
nes, bella; scribendi, amplam suppeditant  
materiam, & scribuntur. accomodauit.  
cælum, tot, tantisq; negotijs, ingenia. mul-  
ti quomodo gesta, aliqui vnde processer-  
int, quidam né postea fiant, monuerunt.  
Reuelat tempus occulta, & Rerumpubl.  
aperit arcana que iam manifesta; nondum,  
palam, & vulgata: sed id supra vulgum.  
Præceptis & absq; consilio vulgus, nec eadē  
vbiq; congruunt, aut omnibus. Diuersa

nationum natura, mores, studia, sæpè ad-  
uerſa: qua ratione coniunges? Si dicas  
Principibus, oleum operamq; perdes, qua-  
ſi otioſi in ſomnum proruunt. Verum, to-  
tus hîc orbis terrarum cõfuſus, habet quod  
agat, diſtentus in vârias occaſiones & cau-  
ſas bellorum. ſumma miſeriarum, quia ar-  
ma pro iure & libido. In otio, honeſtum,  
aſſumpſimus otium; arcana Rerumpubl.  
ſcribentes, quæ ſcripſere alij, pariter facû-  
dè quàm prudenter. Vnum mundi confi-  
lium ſcriptores, & in ſanioribus conſilijs,  
non numerantur, ſed ponderantur vota.  
nec Conſiliariorum præſcriptus numerus.  
Habeo quid dicam, aut quos ſequar, ſi adſe-  
tiendi animus. Alij tamen in partibus, ego  
extra partes, vt de alienis iudicabo. Rem  
narrabo quaſi fabulâ, vel colloquio expe-  
diam, proximo veri. Principem Romano-  
rum Auguſtum, Laconi componendo. al-  
ter Reipubl. impenſius cupiebat, alter li-  
bertati: Et inſtituta, Romam intuliſſe  
Sparta



Spartana: Nummam, cuius inde origo:  
perhibetur. Dillapsi sub Nabide, Tyranni  
infensi: libertate Romana, legumq;  
similitudine, alliciebantur Spartani. nec  
in Græcia quies, gliscentibus tyrannis, &  
magna deterrebantur ingenia. Gratus ho-  
spes sapiens, iuxta ac si ipsa sapiētia venisset.  
Quāquā Roma magnificentia ædificiorū,  
& legibus maturuerat: sed leges, seditione  
infirmatē cōsilijs & prudentia refici debe-  
bant. Neq; abnuebat Augustus, reddere  
Rempub. sublatis quę æqualitatem corru-  
perant, vel ambitione. Quippe ad paucos  
peruenerat Respub: nec tamen æmulito-  
lerabantur: potentior vicit & rerum po-  
titus. prona in adulationes nobilitate per-  
socordiam, quæ malis artibus mater: vbi,  
tuta inhonestā, honestis sed periculosis præ-  
lata. Ex Dominis metus, & quies seruilis:  
vbiq; adulatione certabatur, solito seruiē-  
tium scelere, profligatis virtutibus, quibus  
seruitus iniqua, & vrbes vacuæ.

Inambulabat Augustus, supremis palatij, edito loco fiti; anxius curarum, solusq; & magis loquebatur secum. Qua parte, Vrbs amænior, portam Campenam conuersus: dum omnia contemplatur, nec singula despicit. Forte, peregrinum, incessu nutantem, habitu exterum, motu grauem, deprehendit. Nobilitatem ingenitam, vbi aciem mentis admoueret; nec venisse longinquo frustra, conijcit. Accersendū mandat, & perconctatur, Quis fit? L. Lacon inquit, sum, ò Romanorum Imperator, quē direpta dirutaq; Sparta, fors, aut Dij, quibus ista curę, vindicem libertatis, seruauerunt. Hoc vnum leuamen dedecoris funeri superesse patrię: quia Dijs parendum. Cōmunes virtutes inde, reliquis orbis terrarum solis, extuli. A. Illanē Sparta, quæ Græcię Princeps, Asię terror, voluptatum inexperta, legibus & rigore vitę famosa? L. Hæc est, vt cætera quæ fuerunt eruntuē, obnoxia casibus, & fini. A. Quid causę,  
adeo

adeo iniquæ fortunæ, aut quæ initia? L.  
Abdita non inuestiganda quæ palam suffici-  
unt. Primorum improbitas & fastus, qui,  
impares antiquis, maiora tamen concupi-  
erunt. A. In rebus non laborandum ver-  
bis: sed nimis compressa, magnitudinem  
occultant. enucleanda velim. L. Maio-  
ribus, inquam, nostris, id legis erat: æqua-  
litate fouere, austere viuere, virtutem co-  
lere, vires lucta & diuersis exercitationi-  
bus firmare, Patriam bonumq; commune  
cæteris præferre. Aut generatim dicam,  
quæ animum corpusq; valētissima reddunt,  
indicta; tanquam contra ingeniosam Græ-  
ciam valitura: inde bonarum artium, ex-  
quisita meditatio, deserta. Et versis in cō-  
trarium omnibus, immisso luxu, neglectis  
exercitationibus, & obsequendi gloriâ: ar-  
tes nihilominus non induxerunt: quæ viriū  
supplerent defectus. A. Satis enodatam,  
penetraui rem, sed vulgare vitium, malè at-  
tribui paucis, aut non concedi Primoribus  
oble-

oblectamenta. L. Necessitas poscebat,  
Primores obfirmari: ceteris non conue-  
nit laxitas. Caput nimis osseum, voluit na-  
tura, in quo vite momentum. Virtute nõ  
luxu, Principes à cæteris distingui par est:  
hinc maiestatis origo, & superiorum cause.  
A. Videris plus ingenijs, vim belli, quam  
viribus attribuere. L. Potiora in bel-  
lo ingenia, in prælio vires. Nec inficior,  
belli cõsilia à sapiētibus procedere: præli-  
orum, militiæ ab expertis. Viribus semper  
nos Atheniensibus validiores: superaba-  
mur consilijs, ac vincebatur interdum: in-  
terdum dissidentium victores; vt dixi: se-  
uera tanquam barbarâ vita valere iussa, pa-  
res Græcis robore, ingenio né comparan-  
do fuimus. vnde exitium. A. Obtrecta-  
torem te habebõ, nisi rem declares. L.  
Spartanis licet sentire quæ volunt; dicere,  
quæ sentiunt, cæteris, vbi non adulta liber-  
tas, in publico tantum: Dixisse tamen, po-  
steritatem iuuabit. Agesilaus, artibus &  
poten-

potētia Lysandri, rerum apud nos potitus,  
Rex fuit optimus. ni Primoribus dati regni  
referre gratiam debuisset. Conniuentiâ  
ventum est, vt austeritas, in nouum luxum  
commutaretur, qui tollerantiam militiæ,  
viresque, repente non mediocriter labe-  
factauit. Antequam diffluant, & eneruen-  
tur vires: æmulos Spartanæ glorię, confu-  
los & discordes Athenienses, opprimi visũ.  
antiquo luxu corruptiores, sapientibus ob  
contemptum profugis: destituti consue-  
tis viribus, non ægre opprimuntur. The-  
banis non tanta gloria, recens philosopho-  
rum receptorum ingenijs gliscebat, cui in  
tempore si posset, occurrendum fuit. Infe-  
riores semoti; potentiores, belli imperium  
ambiebant, potentissimus consequitur. Mi-  
litia vtrunque par, Thebanis leuiter mol-  
libus, nostris, iam mediocriter dissolutis. //  
Noster exercitus multitudine; hostilis, in-  
genio Epaminundæ Ducis, potior. Anti-  
qua

qua. & integra virtus nostra, vix olim: iam tum imminuta, impar. ita vnus sapientis ingenio victi, nunc disiecti vagamur. A. Igitur rudes Lacedæmonij, & artium expertes? L. Minimè. tantum artium fuit. quantum, ne sint barbari sufficebat, supra innatam Græcis solertiam. Animosè tamen aggredi cuncta, inprimis iuuentus erudiebatur: ideo vanitates, & superflua amputata. A. Recte videris molem istam in Primores reieciſſe. ni conuellat dicta; tantum illos quantum vos, per æqualitatē potuiſſe. Si illorum improbitas, vestra erit focordia: non procul negligentes à desertoribus. L. Non te latet ô Imperator, qui ad clauum Reipubl. sedent, naucleros esse, & leui motu multos in puppi contranitentes, superare: præsertim, vbi diuitijs aucto-ritas. Præclaris præponuntur opulenti, & dicta potentum stultè pro oraculis haberi, quæ non rarò sunt infra rationis vires. A.

Nequa-

Nequaquam te rudemiudico, nec frons,  
 nec mens tibi vulgaris, sermo copiosius di-  
 gnitatem tuam adstruit, multarum te re-  
 rum doctum; dic tamen quam magis cal-  
 leas artem? L. Nullam subtilem, iocosam,  
 incertam, fallacem, longam, aut difficilē.  
 Breuem & certam. vtilissimam, & neces-  
 sariam generi humano: Ciues & Rēpubl.  
 facere liberos. arcana libertatis & Rerum-  
 publ. A. Probo libertatem, sed improbo  
 magnam, causam Romanæ licentię. L.  
 Vtrumque confundunt. qui contraria mi-  
 scent. Aduersa licentia libertati, vt serui-  
 tus. flagitijs obnoxij, seruiunt; dum, infam-  
 ię, contumelię, conuitorum sunt pleni,  
 quod ipsum seruitutis est; vel sola. Etenim  
 contumeliam non tollit generosus animus,  
 nec liber: Et nequaquam contumeliam  
 à seruitute, secernes. Tam pati, quàm fa-  
 cere iniuriam contumeliosum est, & liber-  
 tati aduersum. A. Igitur licentiam, serui-  
 tutem-

tutemq; confundis? L. Distincta, sed pariter incedunt, qui timent, sunt qui timentur: Timere timerique causæ seruitutis & licentiæ, improbi dominatus, aut potentia intemperies. A. Sors te mihi obtulit, rara Regibus. alibi crebriores, inter regios vix reperias sapientes. fortè, ne esset magna fortuna ad manum, & à casibus procul. virtus tua haud perdet patriam, si ingrata perijt, gratiorem ornabis. Sapiens se ipso contentus: tamen amicis inseruit; profecit cum prodest. Orbis hîc vniuersus, sapienti patria, vniuersum genus mortaliû amici. propiores sanguine amandi, quoad digni amari: legibus nature satis fit. Mihi utiq; reddendi Rempub: animus: consultis præsidij, aduersus libertati iniquam licentiam, munitiorem; & iniquum legibus ambitum. Tuâ subnixus sapientiâ, enitar, quod ex vsu libertatis, & commodo publici. L. Non tua quod vocaueris me. quia

voca-



vocatus sum, magna hæc mea felicitas. maior Romanorum, sub Principe, qui, & dignoscendi ingenia artem nouerit, & inquirendi, industriâ insignis. A. Statis diebus horisque; diuersis & semper difficillimis negotijs, adesse debeo: vt solet magna seruitus, magnâ sectari fortunam, iisdem modo auocor. Tu quiete, & quibus refici possis fruaris, seruisque meis. Interim meditare, quæ proposuisti narranda.

## Dialogus Secundus.

*De Senatu: à quo faciendus, eius authoritas,  
Quantitas. Qualitas.*

SERUIS meis mandaueram, ne distraharis curâ necessariorum: otij quicquid habebas, studio Reipublicæ, impendere debebas. L. Feci. & mihi affatim & pleno sinu seruitum, rarissimo Principum sensu: anxij & negligentes rerum, qui concupiscunt

magna, nulla obtinendorum ratione præ-  
 cepta. A. Præmeditate ediffere primum  
 Republ. arcanum. L. Scio te ô Cæsar,  
 generis humani Imperatorem: satis dixi.,  
 Maior non futurus, nisi, quod Dij auertent,  
 & vobis quispiam imperitet. locis si aliqua  
 obtexit natura, poterit sera posteritas; vo-  
 bis nemo, quia eos subijecistis, qui impera-  
 bāt validissimis. Pluribus Græci, Græcis Per-  
 sæ, Persis vos, vobis nemo imperabat. Aut  
 imperare orbi terrarum non cessabitis aut,  
 nemo vnquam vobis imperabit: magnorū  
 Ducum opus hoc est: sed maiorem te ad-  
 struit, eos quod viceris: maximum, quia  
 •• reddere Rempub. cogitas, nam vicisti, vt  
 •• seruares: perinde, quam medici, luctam hu-  
 •• morum resoluunt, vt restituant sanum.  
 Porro, quia rectiorem quam recepisti, or-  
 dinare Rempublicam meditaris: Institue  
 Principatum, in quo, Senatus creādi facul-  
 tas, ad multorum pertineat officium: iugu-  
 labis

labis procerum contentiones ambicioſas:  
ſimul principatus impietatem præuertes  
callidam. Hoc primum, quia maximum  
Reipublicę arcanum. A. Poſtea de eo, &  
ſeriùs. Obiter velim dicas. Quare quod  
vnius eſt Rempublicam appellas? L. Eſt  
etenim: nam quod eam conſtituit, eſt pu-  
blici ſtadium amorque. Si pluribus vel v-  
no moderetur, nec impedit, nec iuuat. Athe-  
nis multi, dum Lacedæmonij verſa Reipu-  
bliceſ ſpecie, triginta Tyrannos ceruicibus  
corum impoſuerant: poſtea vnus vite ne-  
ciſq; , habebat poteſtatem. Palam eſt, non  
quantitatem; ſolam qualitatem, conſtrue-  
re, vel deſtruire Reſpublicas. A. Rectè id,  
& ſatis breuiter. Sed quam intollerabile  
vni onus, imperando didici, quam publico  
periculoſum, concipio: impellente, oc-  
cultâ cupidine, retinendi ea poſt mortem,  
quæ viui ægre retinent. L. Fateris Prin-  
cipum ægritudines, ſed medicina in prom-

ptu.

ptu. Græcorum vir summus, & ingenio maximis Regum carissimus Aristoteles; Regnum, optimam Reipublicę speciem docuit; quia optimi & sapientissimi regimē, propterea, vnus sufficit. Cæterum, quia Deo impar genus humanum, cælestis administrationis ista: fuisset tamen optima, si intra hanc mortalium conditionem esse potuisset. Aristocratica sub Principe species, in terris potior; plurium, quasi vnus, cumularum virtutum ad supplementum naturę, regnum. Senatus digressam, ad publicum, mentem reducet, aut retinebit dubitantem: ita retinebitur retinens. nec Proceribus præocupato Principatu, ambitionum contentionum materies. A. Quando fors ingenij ista obtulit: nasci, an creari Reges conducat? resolue. L. Diuersus variorum sensus; ego nasci potius non abnuerim: ita apud nos & laudabiliter. quę tamen gens, populusue Lacedæmonijs

nijſ liberior? aut quis Rempublicam non  
 appellauit? Electio corrumpit Respubli-  
 cas, candidatorum, & electorum ambitio-  
 ne: emitur, & vēditur, Diuina auctoritas: de  
 inceps, tanquā ſuā vtuntur emptores, nō vt  
 publicā: dictis, quid atrocius? quod malefi-  
 cij pretiū, pactione, ad ſcleratorū vsq; hē-  
 redes prorogatur, magnā qui merent iniu-  
 riā. A. Igitur Rempublicā hæreditatē vnus  
 familiæ dicis? L. Virtutis aſſero, nō Reipu-  
 blicę, Principes debere eſſe hæredes; & qui  
 eſt, optimus eſt. quid opus quærere Regē?  
 Quippe, & virtus exercitatione cōpletur,  
 & matureſcit; intenditur vſu, cum cætera  
 hebeſcant. Rex in Republica, ſenatui caput  
 eſt, ſeu ratio; ſenatus voluntatis ſpecie, quę  
 libera. Recte regnādi, priuatim nō obſtrin-  
 gi qui elegerunt; maximū iuuamen. Vnum  
 mali remedium: aut nūquā eligi, ſed naſci:  
 aut penitus eligere, nullo modo naſci Re-  
 ges. Priori vt re certa præciditur ambitio.

D

poſte-

posteriori tanquam dubia pactiones: nemo incerta emere ausus est. Sed electiones sorte fieri tutius, usus aut pericula docuerunt: nullam impietati & ambitioni ansam. A. Perge ut cepisti; satis quaesito. L. Vnica facies Reipublicae Senatus, sine hoc, non est. quicquid fausti aut aduersi publico euenit, falso imputari alteri. Principi interdum prospera adscribi mos est. Posse in summa fortuna auspicia plurimum non inficior; & ambigua in melius extollere consilia, rerum ex casu oborta. Caetera, post Senatum, quae attenduntur; durare conducunt: solus Senatus ut sit Respublica efficit: eò vigilantius faciendus, quocarior libertas: & nihil antiquius. haec supra omnia, reliqua infra libertatem, cum vita. Quoniam verò summa rerum in Senatu consistit. eius deligendi, publicum sit arbitrium. Hoc dixi unicum, & maximum reipublicae arcanum. A. Non iniuria: si

ria: si nec senatus pertinebit ad Principū electiones. L. Non satis inde causæ, sunt causarum validiores: quibus nisi occursum, Respublica nulla; aut non procul à Dominijs. perinde ac si nouacula ad iugulum, perfidiæ & fraudulentæ animi, potissima occasionum. Quoad Princeps Reipubl. amans, securæ res; si sui heredumque amātor, in discrimine publicum. patente ad Dominatum ostio, nunquam satis inuigilabunt proceres. A. Quæ dicis sub parabolis, & dicenda & intelligenda sunt vberius; neque enim dicentem contemno: cū sciam multa in vno desiderari, omnia inter omnes reperias. L. Regium ingenium bonitas & sapientia: sed nemo absque impetu malignitatis: placidioribus diebus, acriora fulgura & tempestates. Errores hominibus cum natura inditos, moderatur senatus, complet sapientiam, retinet bonitatem. Vbi senatui, ultra Principem non

est auctoritas, ibi nulla Reipub. species. nec  
 ambigendum posse hominem errare, ma-  
 lumque, vel pessimum effici. Error Prin-  
 cipis, publica calamitas, igitur si errat ma-  
 lus est: quomodo Rex? cum nec sapien-  
 tissimus, propter errores, nec optimus pro-  
 pter calamitates. Nō potest esse Princeps  
 malus, si Senatus bonus est. Vbi reti-  
 neri aut moueri nolit, aut Dominium affe-  
 ctauerit: patrandorum copia, rudi at-  
 que ueracitati, facto habitoque senatu; &  
 iam planè precepta Respublica. Isti, ut im-  
 pares rebus, cuncta curarum Principi com-  
 mittentes, exauctorant Rempublicam. A.  
 Posse id fieri conijcio, sed graui cum peri-  
 culo: ubi nimis aperta fraude infamis Prin-  
 ceptus, uel maxima necessitate extundit uirtutem.  
 Semper oportet ut timeat, quem metuunt  
 omnes. L. Mens tibi fraudis nescia. mo-  
 rum temporumque respicienda ratio, ex  
 re consilia sumuntur. Satis modorum, ha-  
 bita.



bita fraudis occasione, eludere, qui solliciti publico: inania obijciendo, specie magnorum; senatum facere sufficit. A. Nō capio præter iam dictum, sed quia rudis, facilè deprehensus vindicari potuisset: adduc, si esse potest, cautiorem, vt actus humanos cognoscere valeam. L. Exercebit, qui suis ministerijs, inuentutem manciparunt, opibusque augebit: quibus, vi gratiæ permissâ, deprecatores negotiorum recipiet: ijs, dum plerique fruuntur, honorabunt omnes. Eam & speciosam Senatus materiam habebit machinator, fidam & vtilem sibi, publico improsperam. Pance obturata bucca & honoribus infatuato animo, vel religione secreta. Præterea, generosos ex crumena accerset, vana publici iuuamina. Omnia hæc in rem machinatoris; ad publicum nihil. A. Deprehendi. habito senatu, haberi omnia publica, & hanc esse nouaculam ad iugulū:

nam senatus libertatis arteria est, vel ipsa  
 vita. verum malignam adeo vsque natu-  
 ram reperiri, vix credidissem. L. Orbis  
 terrarum innumera exempla, id clamant,  
 magna intemperies generis humani, & in-  
 gens dominandi libido. Putasne cum tē-  
 poribus, augmentum non sumptura, dum  
 momento temporis creuere? Olim sub-  
 ditum fuisse ignominia, nunc non esse Do-  
 minum dedecus. Repente haustę Respu-  
 blicę libidine magistratum, honesta no-  
 mina, flagitiosis, Regnis quæ non sunt, af-  
 finxerunt. A. quomodo Regna non sunt,  
 si subditi, Regesque? L. Quia sapientis-  
 simus & optimus Rex: hæc, Diuina: su-  
 pra mortalium naturam & conditionem:  
 per Deum nemo miser, æmuli, qui aliena  
 vsurpant, improbi. Consilijs niti, huma-  
 num est; exequi, Regium. Confusis no-  
 minibus confundi omnia, obsequi seruire  
 putant, vtcunq; cæteris, grande Regi-  
 bus

bus dedecus. Prædia, & hæreditates Regias parare molientes, conuulso senatu, fiunt voti compotes. Apud nos, vt passim in Rebus publicis, summa rerū penes senatū fuit, ab omnibus creādo, qui omnibus esset obnoxius; corrupti sæculi grande momentum, & Regiæ licentiæ obex. Eum demerendi studio Agesilaus aggressus; iam leuiter corruerat, priusquam deprehensa prohiberetur fraus. Cleomenes deinceps vi non confecit, quod nec perfecisset occultè. Romulo per rationem non ab simile institutum: tanquam potioem Reipub: partem, omnibus, & figillatim cuique trium, ternos senatores eligendi, facultas data. A. Luce meridiana clarius patuit, seruandi Rempub. & conuellendi modos vimque habere; qui creandi senatus, potestatem. Probitas improbitasue, impellit ingenia, huc vel illuc. Speciosum potest facere, sed publico inutile machinator.

nator. Quid, si procul malitia? L. Nūquam abest quod imminet semper; non est ingenui timere; nec sapientis suspicari: sapiens securiora sequitur, ingenui parant. Rarò qui rerum potitur diu bonus, semper posteritas peior. vsus docebit, quid facto opus sit, & qua via publicum in priuatum redigendum. Graues Principibus offensiones, & cōsuetum veri odium. vehemens affectuum impulsus, sed si occulti, ineuitabiles. nec est quo commoueantur magis, quam libertate dicendi, quæ magna libertatis pars. A. Si aduerterit mentem publico, fortemque humanæ prauitatis superauerit, censebis res securas? L. Non licet per errores. Nemo Principum afsecutus M. Alexandri biennium: quo eodem, longius abscessit; nullus. Adde: Non posse Principem cuncta sua complecti scientia. Magnus Reipublicæ ambitus, & egregius quisque animo vel ingenio, non obuius.

obuius. viris grauibus intolerabiles pre-  
sationes. Expertus es magna ingenia nō  
absque melancholico torpore, quicti debi-  
ta, non tamen defident: otiando magis in  
labore; hinc gloriæ auiditas: & dum am-  
bitione non feruntur, in vulgo, dedecus.  
Horum non facilis copia Principibus: nec  
aulici ignotorum iactabunt virtutem; quo  
minus sua vilescat inertia. Non pecuniam,  
equos, canes, & ministeria summorū quo-  
rumuis tractādo; continuis, magnisq; , stu-  
dia Reipublicæ, præparantur meditationi-  
bus. Flos vitæ humanæ adolescentia,  
hec inseruit reliquæ: totum amiserunt,  
qui aliud in adolescentia quàm digni-  
tas humana postulauit, egerunt. Inv-  
tile & sordidum quod infundo remansit.  
Facile sordes reperias: abdita pretiosis-  
simorum quæque, multorum laboribus c-  
ruuntur. melior pars tuorum ciuium in oc-  
cultis est. oculere quæ meliora natura vo-

---

E

luit.

luit. Non se ingerunt virtute contenti negotijs, mali videri malunt & prostant. Curiosus ambitionis; virtuti, nihil laboris temporisque impendunt: quod collocauerunt bene, si mentiri & simulare didicerunt. Quomodo tam expediti artifices, non peruertent Principem? A. Vtique aulicorum vaferrimis ingenijs improsperi Principes. id mihi quam dici potest exploratius. Abdiora tamen Principum ingenia, sero & prudentibus cognoscuntur: & crebrae simulandi aut dissimulandi occasiones; notæ imperantibus artes. dum retorquent facta, magis fallunt. Harum artium doctus Tarquinius superbus, admouerat iam mentem, sed curiosum non potuit fallere Senatam, prius pulsus est, quam subrueret libertatem. Prouisumque in posterum, docti periculo, cum diffiderent Romani, exemplis. Eadem in Tribunos Consulesue translata maiestas, sed dum breuior securior.

rior: nec interim, si obreperet, impune  
dimittebatur malignitas; né antiquum  
nouo-reualefcat malo. Procedente tem-  
pore, seu lenitas Procerum, seu vana, tan-  
quam Diuinę potestatis religio, pessunde-  
dit omnia: tum violari posse comperta,  
dum violasset cuncta. sed sero depræhen-  
sa flagitia corrigi nequeunt. L. Debe-  
bam dictorum, ad rem, & necessaria affer-  
re exempla, verum vti video, ijs abundas:  
Græcis potius, credidissem; quo de gene-  
re crebri scriptores, quorum Tu otio læta-  
ris: aut dum vniuersam transfires Græci-  
am, interitus Rerumpubl. causas, curio-  
sius inuestigasti. Cælo ita visum, melio-  
ribus Græcia subfit, quæ, modum imperan-  
di supergressa, obsequendi addiscat offi-  
cium: dein melius imperatura. Mirare  
tamen, validarum nationum, socordem  
seruitutem, quarum non exile imperando  
ingenium; submisso, vnius arbitrio, Senatu,

cuncta amiserunt: vix vitam, & hanc, Tyrannis obnoxiam, habebant. qua de causa antiqua illa orbis facies, & admodum decora, concidit, vt nullam Rempublicam vidisses. A. Aut Te latet; restituta iura Græcis ciuitatibus? L. Scio ô Cæsar, nō sua id habere virtute, Tua restitutum clementiâ, sed quod à Te, Tuum est. Tua illorum libertas, donec velis, ipsorum est. Pater Tuus, à quo es adoptatus, magnus. Quis eo maior? vel ideo, quod ferocem illum, cum posset, non immutauisset Senatum; vt essent, à quibus periret. Palam est, in æmulos necessaria, non impia, in Rēpubl. cum sumpsisse arma: meluit gloriofior cum hoc esse, quàm potentior sine eo haberi. A. Haud facile, generosus infringitur animus. nec amicitia, nec beneficijs, deduci potest a magnorum imitamentis. Quantopere Brutum, Pater meus ornauerat, & ornaturus erat, si publico modera-

tior?



tior? sed Patriæ efferatus casu, aduersa factis ausus, non expugnauit cœlum. Auxerat nihilominus Senatum, vt pristinos seruando, suos haberet: hos tamen, noua & antiqua, hæroica exempla, abripiabant. vnum, aduersum Dominio, habere in Senatu, sufficiebat. Seiunxi ego indignos, quos fauore cooptatos compertum habui, & inconditam turbam, ad auctoritatem reduxi. Probatur id Tibi, multitudo ne placeat? L. Mihi pluralitas placet vt necessaria, sed futilem turbam execror: vt varios sensus, neutiquam bonos. Vnus bonus prodest, quo magis multitudo? è multis melior audiendus. Magnus ager inter inutilia, vel vnum producit vsui. Nulla inter bonos confusio, parata inter paucos & malos. Non eadem via ad finem, sed bonum vnū est. Spes & metus, iniqua paucis, multitudo aduersus vtrumque valida. nec spe, nec metu corrumpuntur plurimi. Exi-

guis adhuc initijs Romanis, copiosior Se-  
 natus; apud nos competens; Athenis e-  
 tiam superfluous; copiosus vbiq̄ue, angustus  
 nusquam. magnis & exercitatis, Respubli-  
 cę inclarescunt ingenijs. A. Copiosus mi-  
 hi Senatus: in verba tamen mea præcipi-  
 tant sententias. non ego rerum notitiã cõ-  
 pletus, in illis, amoris, aut formidinis mei,  
 nota: & vitiosum vtrumque. nec ego cor-  
 rigo, nec illi vice sua funguntur. Adduc  
 si potes corrigendi rationes. L. Benefici-  
 arii tui, benefacta rependunt; non digno-  
 scentes, quid tibi & publico debeant, pri-  
 uatis ducuntur, & abducuntur commodis.  
 Fac concludas aliorum vota, aut scriptis  
 decerni; non habentes quem sequantur,  
 suam quiuis depromet sententiam. A. Pla-  
 cet consilium. Belli an artium doctos, Se-  
 natui cooptandos censes? L. Ratio præ-  
 stat viribus: homo superat bruta, quanquã  
 superatur robore. Breuis vita, longã ex-  
 perien-

perientiâ firmior, hæc, lectione perficitur. Ingenijs, multa, & recētia, occasione exco- gitata, quę nec vsus inuenisset, nisi intenta per necessitatem industria. Prona ad omnia ingenia cito excrescunt. Imperatorum gloriosiores à literis processere. Æmulus & hostis vestrę glorię Hannibal, quantus ingenio? aut si bello maior? ambiguum. Mithridates quantus? si quod sciebat, egisset. Pyrrhus quam acris ingenio: primū traditis militandi artibus. Mitte in omnia sæcula ingenium: non vulgaria, quę omitto, reperies exempla. Atheniensēs potiores Græcis, quia ingenijs. Exercitatissimi Græciæ Duces, quibus militię nihil non expertum, Themistoclis ingenio rapiebantur, & tanquam maiori obtemperarunt; sola emerferat industriâ. Paulo post, quem non superavit Cymon? nil mirum: tantis magistris, tantos fieri discipulos. Sed quia belli pacisquę habenda ratio,

tio, vtriusque generis adsciscendi: atque  
 aut pares sint, aut Viri militares, paucio-  
 res, quibus pax bello operosior: nam tru-  
 ces mente, præcipites consilio, vincere vel  
 mori celeres. In publicis cunctatio tutior;  
 quia non ad manum fortuna. Hoc modo  
 formata Republica, volentem & intelligē-  
 tem formabis, quæ sunt humanitatis, &  
 potentia, causæ. A. Speciosa dicis, quod  
 honestius doctis, & non difficile. Innata  
 eruditæ turpitudine & morositas, molesta &  
 intolerabilis non paucis. & præter vilita-  
 tem animi, cōtemptores, per quos publica  
 administrantur. L. Magno sunt propte-  
 rea animo: quia sua contemnunt, publica  
 animosius tuebuntur commoda. Compo-  
 siti superbis, arrogantes apparent, eos vbi  
 vilibus apposueris: nisi iudicium adhibe-  
 as, vilissimos putares. Catonis vestri no-  
 men, vbiq̄ue celebre. qui vidisset pede-  
 strem, sine pallio, sine calceis, in publico;  
 abie-

abiectum: compositum Cæsari vel Pompeio, Regem iudicauisset. Solus is conseruandę Reipublicę par; nisi aduersorum potentia præualeret: gratiâ, beneficijs, postremo armis, vinci nequibat: liber mortalitatem deposuit, extractâ animâ. Animus & ingenium auctoritatis conseruatores. incerta quę ex potentia, nam seruilis. Habet quælibet Respublica impensas, sumptusque bellorum, ingenia desiderantur. quærenda, & accõmodanda publico. Ab ingenijs, inprimis, Procerum; postea à ciuium multitudine, publica sumenda potentia. opes pecuniaque, serui sunt, cum quibus commodius. Diu apud nos sine pecunia belligeratum. vos Romani orbis terrarũ opes ingenijs intulistis. Persarum immensę diuitię. cui bono? cõtra ingeniosos Græcos. Sepe alias multi, sed Clearchus, maximo contra Artaxerxem documento. Cupiditas tamen in omnibus perpendenda.

F

quia

quia multiplex, & nociua quæuis. A. Af-  
sentior, in Senatu Respublicas & libertatē  
consistere. Obstrictum Principi senatum  
in adulationes ruere, & maiore adulandi  
occasione, Principis firmantur molimen-  
ta: aucti potentiâ, acerrima fiunt domina-  
tus instrumenta, adulatores. immensum do-  
nec creuerint, & tunc infidi. Egomet, e-  
ruditorum in publicis fidem animumque  
expertus: malunt veris offendere, quam pla-  
cere adulando. Adest Varo & Atticus qui-  
bus auctoribus stetit Respublica, ceteri  
æmulando, impares potentibus, se & Rem  
publicam perdidērunt. Porrò, cum in eos  
viros incidissemus; descendamus, ad vtri-  
usque eorum, omniumque eruditorum a-  
micum, Mæcenatum, & ipsum doctissi-  
mum, quod inter diuitias rarum: mihi cha-  
rissimum vt rariorem, nec de emptitorum  
numero. que maxima animorum & virtu-  
tis exploratio.

## Dialogus Tertius.

*De æqualitate optima publici constitutione. In-  
æqualitate, pessima: unde seditioꝝ & legum  
contemptus. Quomodo auertenda. Obiter,  
ea de causa Respublicas interijisse;  
quæ fuerunt.*

Credo te ne aspexisse gētibus stupēda, nec  
perlustrauisse vnius ciuis, domum amplissi-  
mam, Romani, hortorumque amænita-  
tem: nam soli Lacedæmonij sumptuosa,  
vt superflua oderunt. L. Superflua, quæ  
sunt inuanum: priuatim admirandę stru-  
cturæ, magnificentię decora publicæ. lu-  
xui non imputandum, quæ publicum or-  
nant. Obstupui amplitudine domus, hor-  
torum amænitatem non vidi parem: qui  
nimo, adhibito iudicio, toto orbe terra-  
rum, ornatiores non haberi, existimo. Her-  
bidas floridasque partēs, tota plane nocte,

à cæna obambulauī. paululum in cupref-  
 feto, ante diluculum conqueueram: lau-  
 reta, & cætera amænitati accommodata,  
 nondum perlustraui. vltimo, quosuis pa-  
 latij ambitus exploraturus. Horto & am-  
 bulationibus vltra ciuilem modum ornatis,  
 magis detinabar; animi & oculorum so-  
 latio: vbi, sparsim ædificatę regio sumptu  
 domuncule, quid sibi velint, coniectura  
 non assequor. A. Mecænas ille est, qui  
 hæc omnia fieri curauit, doctorum virorū  
 commodis, quibus impensę beneficis, &  
 ipse doctissimus. causa alienę iuuandę qui  
 suæ confidit virtuti. Hic, proripientes se  
 Italiã Musas retinuit: quarum voluptati &  
 otio, hæc Romana condidit Tempe: mihi  
 propterea charissimus. vel quod me ha-  
 ctenus distento, tantum beneficij publico  
 impendisset. Meo & omnium iudicio, vr-  
 bis orbisq; terrarum imperio dignissimus.  
 reficiendę Reipublicę, ingenio & discipli-  
 na ma-



nâ maxime idoneus. L. Miror egregium /  
virum priuatim exolefcere: hæc vna inter /  
primas ignominia vrbis, & Tua. A. Ne- /  
quaquam priuatus est: ipfius vtoringenio.  
fed fastidio immodeste quorundam poten-  
tię, quietis amans, otium, quam contenti-  
ones maluit. Si audias Primores vrbis, fa-  
stidium non tuliffes: corpore vel cultu in-  
gentes, verbis magnificos, animo fastuo-  
fos, aspectu truces. & quod in primis hu-  
manitati aduersum, cruditorū, ne suam ob  
inertiã vilefcant; ofores: qui, meritò eorum  
declinant contubernium. Dilate Reipu-  
blice, hæc vnica causa, & iusta. Potentes  
obstant cruditis, potentibus ruditas, pu-  
blico perniciofa: & nisi suppressã poten-  
tiã, Respublica retineri nequit, & liber-  
tas. L. Et sensus, & verba, proborum  
doctorumque, à rudibus & improbis, di-  
uerfa. Diuina, vt i video, mens Principi-  
bus, quia Deo sunt propiores. Magnum

Reipublicę arcanum tangis, mihi hoc loci narrandum. Aequalitas fouet Respublicas, inæqualitas labefactat & libertatem: quia ordinem confundit. Igitur. restitue æqualitatem, hoc Rerumpubl. fundamentum; aut corrui, si ea base non sustinetur: nam inæqualia non bene coherent. Inæqualitas, potentiâ inducitur, & dirumpit quod fuit vnum. deicit Democratiam, Aristocratiam conturbat. A. Quid velis nomine inæqualitatis, quæso, aperias. L. Ratione ponderum introspecta, æqualitatem concipere promptum, nam vnum eleuat aliud. Quid sit eleuare, sapientes require, quorum familiaritate frueris, ex ijs intelligas, quæso. Parui æstimantur eleuata, sed eleuantur à mole, quę absque sono, & ratione: ratio sapientibus probatur. Et spiritus leuis, dum eleuatur superat. Terrea non assurgunt, vilissima quę quę cœlestibus aduersa, quę terre,

terre, & corruptioni propinquiora. A.  
Videris irruere in magnates, hæc sunt Nu-  
mina & Martes huius orbis, hæc est Reipu-  
blicæ anima, & primæ virtutum motrices.  
L. Non dum penetraſti arcana rei, neces-  
ſe penetres. Perdendi potentia vicinior,  
quæ nimia, nunquam tibi ſatis fida, vel æ-  
qualibus concors; & dum aſſurgit, labe-  
factat cum æqualitate, publicum. Hoc a-  
pud nos, & paſſim, interitus exitijq; cau-  
ſa, & initium: Satis habes exemplorum,  
domi, hinc præcepta ſumas. Fruſtra pe-  
regrinatur, qui profutura non penetrant.  
Corruperunt, & euerterunt Potentes, pa-  
riter noſtram, veſtramque Reſpublicas.  
Laconem audis, adulantem non audies. A.  
Experior quantum ſit malum, & qui eam  
prætendant malignitatem: ſanguinis & a-  
micitię violant iura, qui placendi Principi-  
bus, conquirunt modos: bibunt & men-  
tiuntur in eorum honorem. Hæc habeo a-  
ptiſſima

ptissima Dominatus instrumenta; dum dissimulo iram, simuloué gratiam, quę sunt imperantibus opportunę artes, voluntatis certę meę, non desunt executores, quā, vestigijs, promptā mali solertiā, adsequuntur: nulla mei publicique, suā duntaxat curā; & excresecendi inter Primores studio. Facta eorum non aspernor penitus, sed talium patratores odi & execror: nam adulatoribus nihil habeo grauius, quibus imperare fædissimum, vt vinci paratos, inuadere. Cuperem nosse modos, auertendę potentię, & discriminis publici: né ambient maleficium, satis iniquis remedijs. L. Simplex & promptus est, prohibendam nemo non fatebitur: & ni prærumpas, nullus cupiditati eorum finis, & ambitionibus peruersis; tuo & publici malo. A. Quis tamen est? L. Non sis nimius in vnum, beneficijs. Si feceris, inæqualitatem instituis, & potentes paras; Ti-  
bipa-

bi parum fidos, ciuibus graues. Spem ambitiosus ciuibus eripe, licentiam Tuis successoribus aufer: magnum Reipublicæ & libertati, præstabis beneficium, cum præsidio. A. Quid est, nimium esse? L. Diuisas Respublicas in partes, territoria, districtus, & id genus. nemo sit Tibi tam gratosus, cui vltra vnum dederis. Duo territoria terrasué, fac ne des vni. si seruaues, ciues tuos animosos, Rempublicam liberam, felicemque facies, ciuium virtutem intendes, à te remouebis odia: promptâ repremiandi occasione, dignos. A. Non satis causæ quæ dixisti. L. Conquiesces, vbi aduertas mentem. Prima, inæqualitatis initia, opes, quæ dudum irritamenta malorum, & improbi fastus. Nihil non audent, & multa opulenti patrant. inter publica, tenuioribus pertractis in partes, quorum abutantur studijs: amplius, non in publicum vota, em-

pta, aut donata priuatim, excipiuntur. Veruntamen, solę diuitię, non adeo usque habebunt auctoritatis, iuncta auctoritate valebunt: quę suapte natura valida, cum diuitijs validior. Et illud inæqualitatem stimulat, leuius tamen, & tolerandam; corruptis non nihil indulgendum: nimia, ex publico auctoritas, vim addendo peiores facit, irritando superbiam. Tumes, quia auxeris, eos formidare crederis: nam vulgare vitium, odisse & seruire potentibus: sed vanum seruientium odium, quia contemptum, & imperia Dominorum, subeunt, & contumeliose patiuntur; fallaci gratię, ingenuitate prostituta. In hos nulla iuri potestas: molimia in Republica atrocitas, & ex suo sensu, tot tantisque mancipijs validi. A. Non agas propere, ipsa festinatio impedit. Repete, quam primò apposuisti rationem. L. Inæqualitatem, cuius inde origo, vbi auctoritas & nimia potentia.

tentia conuenerint. Æqualitatem præ-  
tuli, quæ non secus quam complexio bo-  
na: inæqualitas, magna quædam intem-  
peries, in uiuentibus atrox & manifesta.  
Enimuero succosiora cæteris membra, ta-  
bescunt; reliqua attenuata languent. O-  
dij inuidiæque causa, profusa in paucos  
beneficia: inde simultates ciuium, in tur-  
bas leuiansâ prone. Inuisa semper poten-  
tia: si & iniuriosa, magis exasperat, ledē-  
do. Vbi non habueris in distribuendo  
modum, aut æmulationem inter pares; aut  
Tui odium inflammabis. Ingenijs virtuti-  
busque ornanda Respublica: hæc excita,  
& vide, ne potentiæ opprimantur arrogā-  
tiâ. Nullam non patiaris crescere & e-  
xerceri virtutem, alioqui necessaria immi-  
nues præfidia: & non remunerata; cæte-  
ris eripit spem certam præmiorum, & lan-  
guidos facit. A. Igitur magni viri arcen-  
di a Republica? L. Nequaquam. modo

attendas, inter magnos, & potentes quid inter sit. Virtute magni, opibus potentes, dicuntur: non confundas nomina, rebus in aduersis. Magnus per orbem terrarum Camillus, sed non potens, cuius posteritas exilis, sed potentissima, hoc seculo. Crasso non profuerunt diuitiæ, & tanta estimatio in vrbe, ad gloriam: aut supellectilis præciosæ cumuli. Scipionibus quin sint magni, non obstitit paupertas: iuuat, velle credas; populo Romano profuit. Tuberonis gloriam fictilia seruabunt, vel hæc, cum illâ, æternum mansura: Nondum Roma potentes sequendo desipuerat. Si viri illi affectarent aliquam possessorum partem: alter quæ Carthaginensibus, alter, quæ Antiocho, eripuerat; haud ægre obtinuisset totum: vterque in magnitudinis exemplū pauper mortuus est. scilicet, vt eius, publica felicitas in offenso pede decurrat. A. Nondum assentior: bello & aduersus quem

que u-



que subita, promptos potentes, & tu fa-  
teberis. L. Vana ista præsidia, si publica  
non sufficiunt: quia extra obsequium, tur-  
bulenta: si addunt quidpiam roboris, plus  
addent, si dispertiris beneficia; & oppor-  
tunos rebus, multos habebis præsto ani-  
mos: quod caput est, amouebis arrogan-  
tiam; pluribus, & pariter, publico inuigi-  
lantibus: nemo se iactabit vel iactabitur  
superbe, tui cum contumelia. Aduerte  
tuos potentes, qui triumphant semper, ra-  
ro cum hoste, nunquam prospere con-  
gressi. Nuperrime Varus, quot aquilas,  
vexilla, milite Romanæ, & publici deco-  
ra, acie perdidit: utique tamen, eorum  
aduersa foris, leuiora; domi, ob eorū pha-  
langes, prosperitas intolerabilis: tanquam  
non Tuâ non publica vigilantia Respubli-  
ca stetitisset. Penes ciues labor, pericula,  
cos inter & virtus: penes potentes existi-  
matio fallax, præmium certum. *Supra*  
centesi-

centesimam, quadragesima nona Olimpiade: & dissolui, quod egregium Romana in Republica fuit, & contemni quod non niteret, cæptum. prope non amiserunt magna, dum contemnerent quæ videbantur parua. Potentes potior pars Reipublicæ, exauctorata paupertas: nec iuabat virtus, inepta munijs sine opibus, tanquam sine auctoritate. Constantiâ improsperorum, resipuerunt; retracti, à potentia ad virtutem, magistratus. Æmilius Paulus pauperrimus, vniuersis potentibus, prælatus & dignior: bello cum Perseo, potentum administratione, hætenus improspero. Mox resumpta, non durauit virtus, validis potentibus aduersus virtutem; & vim rationis. A. Satis de inæqualitate & eius causis. perge ad reliqua. L. Vis inde ciuibus, legibusque. Potentes pares nō tolerant, inferiores, infra canes contemunt: quæ vis libertati maior? aut dissidij ma-

fidij materies paratior? A. Solent vt di-  
eis, vim ciuibus inferre, sed leges & hos  
protegere, & illos coercere possunt. L.  
Imbecille sunt leges, aduersus potentiam; ~~causa~~  
illa ad vim, vel metum, præceps. quæ se-  
per furiosa & fera: vt potentiam à ferita-  
te non discernas. Multa mala nobiscum,  
peperit natura, sed omnia subeunt immo-  
to sensu: quod ab aliena potentia nobis  
impendet, crudeliter nos habet, antequam  
feriat affligit, dum arma circa se, ignes &  
fulmina trahit, & turbam ferarum, in ter-  
ga & ceruices nostras parata: & ostenta-  
ta turbant: satis tormentorum libertati  
terrere & timere. Multos iuri obnoxii-  
os, clementiæ largiris. quanto plures illi  
immanitate, innocentes hauserunt? tan-  
tum illis licet, quantum possunt. Et in-  
ter tot patrata, ne vnus caput, vt facino-  
rosi, in vita tua, vidisti. Afflicte & mutilæ  
leges, inter quas potentia versatur, quas,  
patro-

patrocinando, euertit. Cæsar & Pompeij immodestiam ex clientibus collige, quam violenti ubique? Clientes pro patronis conuicijs aut sputis, patroni pro clientibus armis, disceptabant: submissi, qui partium tueantur arbitria, & vota. Pro Dominis, non pro Republica, sæpe atrox instituebatur certamen: Et dum potentes valerent, leges habebantur frustra. Præsidio quiuis indigebat, exauctoratis legibus: ita gliscente potentiâ, ciuium, legumque, nulla auctoritas. Ius ciuitatis dabat Cæsar; Pompeius adimebat; scilicet, pari licentiâ, cū præter leges vterque. Grauis multis rebus Pompeius, sed ob Demetrium odiosus, qui dum vim Patroni complectitur: libertus, ciues, & ipsam contenebat nobilitatem. Hoc vnico melior Cæsar, quod non confunderet ordines. Cæterum vterque, iuri & criminibus obnoxios, receptabat tuendos: magna creditorum

ditorum iniuria, & verecundia bonorum, dum noxij legibus, & mortui; viuis immixti, probisq̄ue, aspicerentur. Interdum talibus clientelis res patronorum augebantur. Patrocinia hæc vocitabantur. quam improbe? iniqua, honestis nominibus adumbrantes? Olim ob egestatem, paupertatemue, patronis clientes. præterea, quid opus patrocinio? promptis iudicijs, vel æquis iudicibus? Dignosce antiqua, à modernis patrocinijs: illa damno patronorū fiebant; hæc incommodo clientum: eo modo auctioantes, auxerunt vim suam, quanquam non mansuram, sed ad præsens, priuatim, & publice, nociuam: dum nec legibus auctoritas, nec iustitia ciuibus. Consilia, qui sese mancipauerunt potenti- bus, infecta infractaque; nulla nisi seruien- ti, iustitia, vel securitas. Ita nec quisquam liber, nec seruus honestè esse potest. Ex- tremum malorum cum nemo ius appella-  
uit, qui

uit, qui non amitteret vitam: & quia formidine sui, nō compellantur, probi haberi volunt, sed eo ipso improbiore. Adeo & iuris, & naturæ, beneficia sublata: dum vindicatio vitæ vel iniuriarum: Et quo quisque indignior, eo in potentia immanior. Alcibiadis inter Athenienses magnū sed prauum ingenium: illum fortuna, ille Rempubl: corrupit. origo malignitatis, profusa in eum Republica. Is multorum & Periclis corruptor: monito, de non reddendis potius, quam reddendis Reipubl. rationibus virum potentem cogitare oportere. Apud nos maior Lysandri, quam Agefilai Regis fuit auctoritas, quæ tanquam exitiosa, suppressa, sed parum abfuit publici discrimen; ni preuenteretur. veruntamen, magna pars Reipubl. concidere visa, cuius vim, summamque, ad se pertraxerat: dum vnus, quam omnes, plus valeret. quod vnum à potentibus, inter multa maiorum.

lorum. A. Non potentum, sed iudicio-  
rum & Reipublicæ, iniustitiæ est culpa. L.  
Ita est ô Cæsar; sed soli potentes Respubli-  
ca sunt. Crasso, Cæsare, Pompeio, trium-  
viratus: peruicaciter Respublica appella-  
batur, dum trium esset: nec æmulabatur  
alter, cum metueretur tercius, certus ad  
partes; accessione incertus, sed validior.  
Quo statu Reipubl. iudicia pessima: potē-  
tes ex leges: & ad coercendum, multa so-  
lent concedi Principibus. quam parato li-  
bertati discrimine? Antequam perijsse-  
mus, Callicratidas, Lysandrum iniuriarū  
postulauerat: iudicium iure & æqualitate  
constabat paribus; quos infregerant Pa-  
troni. Primus indignando, potentiā Ly-  
sandri causatus, deprecandum hortatur:  
hic factionibus Lysandri iudicio intrusus  
fuit. Quo comperto, alterum appellat; is,  
non posse collegæ, quo minus sibi in poste-  
rum obstet; respondet: frustra aduersus

potentes inuocari legum auxilia: addit.  
 Bonus habitus Lyfander, quod vi iniqua, iu-  
 stam audaciam, non vindicasset. Nulla li-  
 bertas obnoxia potentię Republ: & dum  
 nihil ex ingenio, fors cuncta, vt opes, gu-  
 bernat. Adeo, ne ingenia libera sunt, tor-  
 quente eos conscientia: vt si laudes, qui  
 meruerunt: tanquam obiectes alienam  
 virtutem, aut propriam exprobrares igna-  
 uiam; excandescunt: credentes, nemi-  
 nem, præter adulationem merito laudari,  
 dum cuncta suo sensu & virtute metiuntur.  
 Habes comoda & incommoda potentię.  
 A. Quid comodi vbi beneficijs sum mo-  
 deratior? L. Multa tibi, plurima & Rei-  
 publicę obuentura. Qui plus tibi debent,  
 plus tibi imputant, vt cupiditates eorum,  
 quę, crescunt dum implentur; ex saties.  
 Quę liberalitas sufficiet? cum de accipien-  
 do sollicitus, acceptorum obliuiscitur: in-  
 gratitudinis nomine, cupiditas infamis.

Igitur .



Igitur, cum Te hoc malo liberaueris, amaberis ab omnibus, & Reipublicæ quosque obligationes reddes. Sed in primis omnium erit Respublica, non paucorum, amabitur ut non aliena, ubi ad omnes redundabunt beneficia. Sublatis odijs, maior concordia, quæ potentiæ non cohæret, & inuidiâ labefit. Acerba sine fructu pericula laborque: & si in vnum multitudo fructum confluerit; odimus: tanquam laboris nostri raptorem. Incertum, qui ultra modum accepit, an profuturus: reliqui deteriores socordiâ, & segni maiorû expectatione. Incerta non satis tuta, certioribus minus periculi. Mediocriter sed omnibus dandum: hæc bonorum trutina, & exploratio. Ægre in multitudine bonum reperias: nec ambigendum, magis abditum, meliorem: quærendus, js publico vsui maximè inserviet. Non fastuosi, qui paci aut bello prodesse valeat accer-

tendus: id in potētia nō facile apparet. Ple-  
 riq; sui admiratores, falsā efferūtur, aut effe-  
 rātur gloriā: rebus magnis appositi, suā de-  
 nudant futilitatē; vt in alto simia. Spes vni-  
 uersis, sed nō fallax, relinquēda. Ex meritis,  
 et virtute, sese nemo cognouit: ni cognosca-  
 tur præter casū, qui extra cōsiliū, & virtutē.  
 Quis est inuitā naturā magnus? exercitatio  
 ne fiunt, natura, interdū prōptiores facit,  
 quādoq; vincitur. Propior fit spei, & gratiē,  
 qui meret militatue, priorib<sup>9</sup> remuneratis.  
 Magnū Principibus arcanum ad retinēdos  
 animos studiaque: expēdēdum, nō tātum  
 gratitudinis, quib<sup>9</sup> dederint, relatuos, quā-  
 tū odij quos præterierint. Claritudine non  
 lōgitudine æstimabis merita. Et quia inter  
 militiē vitia, hoc vnū; nimia accipiendi cu-  
 piditas: modo circūscripto, refidet, sublatis  
 exemplis. nec inciuite quod fiet legum de-  
 creto. A. Video te penetrassē causas, & ini-  
 tia exitiorum publicorum, breuibus, sed  
 multa

multa perstringis. L. Malis & pernicie patriæ edoctus, tardè resipui. exper-  
to credendum: Ni tediosum, nimijs bene-  
ficijs corruptos ciues, euertisse Respubli-  
cas differuissem. A. Non aggrauant ne-  
cessaria; amabo te ô Lacon, hoc optimū  
temporis impendium. L. Tres famosio-  
res Respublicæ, Atheniensium, sapien-  
tiâ; Lacedæmoniorum fortitudine; Ro-  
manorum utroque: Diuersis initijs exitū  
similem habuere: valetudine Athenienses  
senio Romana: Spartanaq; concidit. Im-  
modi Athenienses, vt vulgus absque tempe-  
ramento: necessarium obsequium, haud  
quaquam, voluntariam facile tolerabat,  
seruitutem, licentiæ crimina. Proni cre-  
dendo non ægre circumueniebantur, &  
dum non poterant regi, regere prætende-  
bant, vitio elati animi. Moribus factisq;  
intemperies magna, omnia præcipitanter  
facere, sine pænitentia nihil. Magnorum  
virorum.

Virorū vrbs fæcūda, si moderatior populus  
 in quenquā summorum. Quippe, vnum a-  
 liquem quanquam præstantiorem, non di-  
 tauerunt modo, sed armauerunt etiam, fa-  
 ciendi quæque velit: interdum, frustra ad-  
 uersus vim potentiæ, reluctantibus. In par-  
 tes rumpebatur Respublica; sequendo,  
 haud sentiendo diuersa, vt vulgus, sine fru-  
 ctu pœnituit facti, impos infra fortunam  
 animi: ita, publica stultitiâ, singulorum  
 perdebat sapientiam: reliquum cum Pe-  
 ricle perijt. Erat js, ex se amari & hono-  
 rari dignus, aucupio populi, arte & naturâ  
 insignis: immoderata in eum populi proni-  
 tas attulit ruinam: Nimia potentia corru-  
 pit hominem, ne toleraret parem, cum nō  
 haberet superiorem. Accommodabat  
 futura præsentibus ne filiorum suorum no-  
 uitati, antiqua aliorum obstaret nobilitas.  
 Cymonis in primis, depressit filios, recen-  
 ti memoriâ viri inter gloriosos. Tuciti-  
 dem

dem deinceps aggressus, inferiorem se,  
cæteris superiorem, sed meliorem omni-  
bus. nec defuit venalis populus Pericli.  
Anaxagoræ philosopho, id consilij imputa-  
batur, consueto vulgi vitio: sua errata alie-  
nam improbitatem vocitare. Cæterum, vt  
virtutes decrescunt, ita vitia imitamentis  
intenduntur. Peior exemplo Alcibiades,  
legibus & nobilitati infestus. domi terro-  
re, foris bello enituit. & quia infames belli  
Siculi conditiones; Niciæ, publicum de-  
decus, posse abolere credebatur: populo  
gratior. Ostracismum, vnum aduersus  
potentiam remedium, demolitur: iam tu-  
tior tyrannis, & impia machinamenta.  
Iste gliscentes, populū inter optimatesque  
inimicitias compleuit, extrema publici per-  
nicie: cum ad se vnum, quantum omnes  
haberent, pertraxisset potentia. Se exa-  
cto, vacuam fecit Rempublicam, tanquam  
defuisset caput & potior pars. inexerci-  
tatis

tatis reliquis. Improba consuetudo, ita  
 peruerterat libertatem, socordia: quâ  
 sterilefcit virtus. Venare commoda ex  
 incommodis prudenter distribuendorum  
 beneficiorum. A. Quid causæ, adeo se-  
 ditiosi populi? L. Nimia ex victorijs ar-  
 rogantia: sibi alienam virtutem arrogan-  
 do, contemnebat Optimates, sine qui-  
 bus populus nullus. vnius ducis victo-  
 ria, iactantia vulgi. vt alias, ita postea abs-  
 que vnius virtute inualidum. Egregio du-  
 ce, pauci tanquam omnes; sine eo omnes;  
 tanquam nullus. Suorum mirator popu-  
 lus aliena contemnit; aut, non penetrat  
 occultiora. vel sero, dum corrigi non pos-  
 sunt. A. Spartano populo nulla auctori-  
 tas, quomodo adsues causam? L. In ex-  
 tremis vitia, quæ multitudinis, eadem pec-  
 cata vnius. Pronus, in errorem vnus; vul-  
 gus facile decipitur, & quo, traductum  
 est; valde vult: ita in ruinam præcep-  
 Insoli-

Insolitum apud nos magnates; quanquam ob virtutem eminentiores, aliqui: nemo per potentiam magnus. Lylander id potentiaæ genus, primus, violato iure antiquo, intulerat: Ægidæ Regis nimio favore, multarum amplissimarum, Atticæ, Achaiaque, vrbium, gubernator factus: lautitiâ deuinxerat potiores ciuitatis, tanquã amicos, postea mensæ affeclas mancipauit, ne abse diuersa sentirent. Tot tantisque fretus seruitijs, à filio Regis, ad fratrem, transtulit coronam: ne legibus, sed suâ gratiâ haberetur regnum. vnde nouo regi carior, formidolosior ciuibus. Pudebat. Agefilaum, quasi nunquam satis soluendum exprobraret beneficium Lylander. specie legati Helespontum amolitur; inuisus, in-fensusque Regi, quod non regnaret. Hoc vnum defuit potentiaæ, qui fecerat Regem. Vulturus spes suas, nouam proponit legē, transferendi ab Heraclidis, ad præstan-

tiorem ciuium regni. iustis innixus causis, si odium abesset: & effecisset, ni Rex simulandi peritus, loco, gratiæque restitutum Ducem belli Boëtici prodidisset, deseruissetuë; aut fortè Epaminundæ superatus uirtute, perijt. vtrumque in vulgo: cum hoc, perijt Respublica. Cæteri seruitijs iam impuri; prouincias vrbesque, malebant; Lysandro vacuas. Imminuta ciuium libertate, & Regum minor gloria: consistere nequibant, dissoluto, quod hactenus connectebat partes. A. Igitur facta Lysandri improbas? L. Et vero nõ probo, cum difficillius sit multos mediocres, quam vnum euertere potentem. A. Quæ in occulto, edisserendo, vt sciam fecisti. De Romana non est quod Romano dicas. ni te explorare velim. L. Est quod dicam. Acta quæ vidisti, nosti; & in magnā eorum partem te asseruisti, mala & calamitates vrbis vidisti: eorum initia  
 ortuque;



ortusque, incertum si peruestigasti. Vna  
 vrbi fortuna, quod rerum potitus sis, qui  
 sapientibus obstrictus, vel solus ideò sapi-  
 ens. Stulti id non possunt, superbi con-  
 temnunt. vel non tolerant. Sapientem  
 è sapiente nosces. A. Perge igitur. L.  
 Qui fusè rem cognoscis, compressè con-  
 cipies. Vni datum duobusuè, quod pluri-  
 bus sufficiebat, & per leges dari debebat:  
 inde priuatim, potentiæ: publicè, infir-  
 mitatis origo, ambitionis occasio; inuidiæ  
 & seditionum semina. Mirare exitus pari-  
 tatem. A. Compressa ambigua, & bre-  
 uia nimis, obscura. Extende, magis appa-  
 rebunt. Non animi causa, verum vt in-  
 struas, dicis. non protrahit tempus, qui  
 docet. L. Non animo docendi dicam.  
 nam contemni timeo. A. Hæc Sapientū  
 fors, qui prauis, paruisq; Dominis adherent:  
 nec ego magnus bonusuè, sed esse velim; si  
 id consuetudine sapientum, studioque, cō-  
 sequi

sequi potero. Ediffere, quomodo datum  
 vni, quod multis dari potuit: vel cur repre  
 hendis? si factum. L. Prohibita fuit,  
 prorogatio imperiorum, prouinciarum  
 que, quo vsus belli in plures, beneficia non  
 in vnum: & diuturnitate auctoritatis, ne  
 coalescat potentia, milite & prouincijs,  
 obstrictis. vtili & securâ causa, prouisis.  
 Dum bonis prorogatur, datur malis exē  
 plum. Nimis prona in Pompeium Respu  
 blica, quem supra exempla extulit. Ini  
 qua dum Cæsari, minora detrectaret: iam  
 perinde fuit periculosum, concedere pa  
 rum, quam denegare omnia, habito exē  
 plo: & magnitudinem duorum, orbis im  
 perium complecti nequibat: reliquis, si  
 milioribus seruis. Primo ciuibus, tandem  
 legibus, vltimo Reipublicę illata vis. Olim  
 prudentissimus quisque præuiderat ma  
 lum: eorum rogationes, quasi seditiosas  
 persequerentur potentes. Sublata Agra  
 ria le-

ria lege, potentiam & inæqualitatem induxerant, sensim Oligarchicum statum. Non tamen fuit iniustius, quam publico minus obligari diuites. Quippe, ciuium quisque trium iugerum possessor militare debebat. potentum non pauci, vltra quinquaginta millia possidentes, nemo tamen decem millibus militabant. Ea disparitate imminutis ciuibus, potētes nequaquam periculis pares, potentiori sese dediderunt: & superioris vim passi qui non tolerabant æquales. A. Satis diu tolerabat aut tolerabatur alteruter; superuenientes causæ, attulerunt inimicitias. L. Erant statim sed occultabantur: morte M. Crassi eruperunt, cuius formidine suppressabantur. A. Ingentem, quæ non fuit, attribuis Crasso virtutem: de potentia satis constitit, vtrique metuendam. L. Hoc dico. antequam periisset, dum potens, magnus & bello creditus: sed js malebat pecuniam, illi

illi principatum ambiebant. aduersus se  
 audaciâ prompti, verum ex tercio metus:  
 nam qui socium habere diffidebat, me-  
 tuebat hostem, & victori socius, æmulus  
 in Principatu manebat. Ita maleficia duo-  
 rum, cohibebat terciij formido. Eo subla-  
 to; qui duorum potior, is & Reipubl. Prin-  
 ceptus. Non ambigas, posse potentes, abs-  
 que simulatione & mutuis esse odijs: aut si-  
 ne bello ciuili cum duo sunt. Quo sunt,  
 plures minus discriminis publico; priua-  
 tim, plus iniuriarum. Vnde nobilitas di-  
 stracta, tanquam inferior Dominis; & dū  
 inæqualis, præsentī statui infensa. A. Fa-  
 cta magnorum Principum & sapientum  
 præcepta approbo. mutuis colloquijs prin-  
 cipes erudiri. Redijt, quod exciderat men-  
 te, Agrippæ monitum: Principes de suo  
 præter modum & causas debere largiri. de  
 publico quia ad officium pertinet, nō posse  
 nisi ex publici commodo; nec præter le-  
 ges Et.

ges. Et id genus beneficij in paucis non  
exhauriendum, alioquin, malè collocatum  
immutabit naturam, & suspicione non ca-  
rerebit, inuestigantibus. A. Deprehendi ci-  
uium perniciosam potentiam; vbi nimia  
accesserit auctoritas. Non amplius pro-  
pter hos, legibus locus, vi & maleficijs cū-  
cta fieri. nec aliunde, aut grauior pestis  
malum é, quia externum leuius. Quid  
cras dicturus es? L. Quomodo recta Rei  
publicæ species retinenda. A. Audiam li-  
bens, & quæ sunt rectarum formæ. Satis  
animi, corporis etiam ratio habenda. Nul-  
lum vrbi pacis templum, Hierosolymis  
Deus pacis colitur, eidem templum dedi-  
candum decreui, omnino nō vulgare; nam  
aut ille Deorum est maximus: aut vrbi vti-  
lissima post tot funera pax. Speciem mo-  
lis effinctam descēdamus visuri architecto-  
rum orbis præclarissimorum ingenium; an-  
te hac non magnificentius. Præuentus

morte curabo per successores magistratué ædificari: quod sit Romanæ magnificentiæ compendium. futuris temporibus & posteritati.

## Dialogus Quartus.

*Ne sit Respublica mutationi obnoxia. Quæ  
quot Reipubl: species: initia cuiusque corru-  
ptæ. Studia bonarum artium qualiter  
intendenda.*

Aliquot diebus versaris in vrbe, vteris curialibus meis, ij, quæque visenda ostenderunt. credo nondum omnia, puto tamen augustiora. Probas an reprehendis? L. Non possum non probare, dum nec mirari non potui Æterna, vrbis memoria, ob magnificentiam hoc vnicum orbis terrarum ornamentum: atque etiam, quod omen Diij auertant, si concideret; ruinæ, quanta Roma fuisset, æternum narrarent. Illij

*ex rui-*

ex ruinis, exilia vestigia: modicis colliculis, non perinde frequentibus, id vetustas adstruit. omnino maiorem vrbe famam, res ipsa docet: & si quod herbidum disijcias, nullos reperias lapides perpetuo mansuros: vel si aliquos informes; terræ ossa, non ornamenta vrbis vnquam fuisse dices. Relinquo alijs miranda, ego altiora, scrutor. A. Quid illud? quæso aperias. L. Quomodo concidisset Roma adeò magnificè ædificata. non capio. A. Ædificare, vt destruere; humani est operis. vbi intendas industriam, & naturam superabis: Hannibal peruiarum Alpium argumento. L. Communia quæ concipi possunt, insolita miramur. Quomodo auari, adeo stupendas & longe augustissimas moles struxerunt? Aut si non auari, quare perierunt? hoc scrutandum capiendumque decreui. A. Nedum concipio, quid moliris. vberius mihi tuam explica mentem.

L. Ordo seriesque naturæ, communis omnibus, dum modo intendas ingenium. Quæ ad interitum vergunt, ad avaritiam & ambitiones declinant, ex ijs senium, & residua politiarum deprehenditur ætas: nam senecturis avaritia est, cæteris ætatibus insunt virtutes, interdum immiscentur vitia leuiora. Hominum, familiarum, urbium, populorum, fines; avaritia præoccupat. Eo usque superbas moles extruxisse, non fuit avarorum operis. Cur ruina interitusque Reipublicæ? A. Scitè admodum, & ingeniosè de rebus differis. Felices Sapientibus principes, reliquis, infra vulgum miserimi. Velim scias, avarissimam, & eo nomine Dijs inuisam fuisse urbem: pecuniæ, propter luxum, honoresque, avidissimam. fas & nefas in vrbe venalia, nullum suffragium gratis, iustitia emebatur, redimebantur flagitia, cuncta pecunia corruerat. Olim ne clam peccaretur:



retur, Censoria obstiterat potestas: expu-  
gnatâ; soluta legibus licētia, palam merca-  
ri licuit, in palatijs, per fora, per templa,  
vbiq̄ue. Domos molesq̄ue, quas stupes,  
improbâ pecuniâ, tum ædificata scias,  
dum dignitas cuiusq̄ue, splendore opibus-  
q̄ue mensurari cæpta, & per censum dari  
honores. quisq̄ue incubuerat, vt videretur  
diues, quę egregia negligebantur. M. Le-  
pido, & Q. Catulo Conis: pulcherrima,  
& augustissima domus Lepidi, maximicu-  
iusq̄ue Regum capax: infra quadraginta  
annos, ne centesimum locum habebat.  
Depeculatis prouincijs, vrbibusq̄ue, per  
magistratus: publica accipiendi consuetu-  
dine: magnificentia & decora vrbis, in lu-  
xum versa. paupertas probro, virtus, con-  
temptui esse cepit, ita, ex luxu, auaritia: in-  
digentiâ aut æmulatione, vt solet; exorta.  
L. Hoc volebam ô Imperator præponere.  
de eo hodiernus sermo noster futurus. Ne

in distribuendis honoribus, census & diuitiarum ratio valeat. Nemo sine crimine viuit: sed noua & magis pernicioſa locupletibus accedunt, & cum diuitijs creſcunt. Improſpere in medium conſulunt diuites, quibus, nulla pauperum cura: æmulationis contra pares nimium. Parua contemnunt, ad magna, ſi pari ingenio, domesticis diſtinentur, aut familiari diuitibus ægritudine; magno omnium detrimento: & non rarò parua contemſiſſe pænitiuit, cum adulta pernicioſam vim exererent. Rectæ Rerum publ: ſpecies, à virtute; vitioſæ, ſi fortunarum, maior ratio. Athenis popularis ſtatus, ſenatus tamen è ſapientibus legebatur, nullo paupertatis opprobrii reſpectu. nec vulgus delirare potuit. Aſſiſtebat Arepagus artium profeſſione auctoritate potior, dum eo difficilliora aman dabātur. A. Perijt tamen. quid proſuit curioſa nimis ſapientum adhiſio?

L. Non

L. Non eo exemplum, vt immortalem  
eam Reipublicæ speciem adstruat. sed quo  
pateat, in licitis speciebus, primas par-  
tes virtuti & sapientiæ attribui. Perijt, li-  
centiâ plebis, vt is, qui rationi non obtem-  
perat. Etenim status popularis, seu De-  
mocraticus corruptus, haud dissimilis, ho-  
mini libidinis & affectionis pleno. qui spre-  
ta ratione comi, tanquam animosiores,  
sequitur animi impetus. Sensim creuit.  
licentia plebis, dum exauctorati sapientes  
proponebant, stulti concludebant, de ne-  
gotijs. & stupidissimus quisque arrogan-  
tior eruditorum contemptu. Hoc nomi-  
ne Democrátia infelix. Cæterum in tu-  
tanda sua dignitate, & promptus & animo-  
sus populus: vix deijcitur, deiecto, abie-  
ctius nihil. semper in extremis, quia extra  
temperamentum. A. Dedecus est haud  
dubiè; si magistratus inops, si absque ser-  
uitijs, si absque domo: Themistocli pro-  
bro

bro obiectum; posse ad deserendam impelli civitatem, domos non habentes. Illustris Senatus Romani Maiestas per opes, sedent & habitant regio apparatu; Regum maximos quosque sedere, credidisses: togæ, auro & gemmis versicolore, affabre factæ, rarissimo opere: gemmas vix orbem terrarum reperibiles, raritate aut magnitudine. sane in Senatore nihil vulgare, vel paucis commune videres. Quanta subfelia existimares, vbi aliquot mediocres Regum? Expende, vnus Pompeius quinque magna administrabat regna. Satis ad rem, collige maiestatem. quanquam duos potētissimos Regū in suam potestatem reductos, non memorabo L. Improbo diuitias, eruditionem sapientiamquæ in Senatore laudabo. Cōsiliij nō tragedorum Senatus contubernium. Rem ipsam spectes, species decipit: vel intulis, defraudat qui pascit oculos, cum mentem debebat.

Athe-

Athenis graue consilium, desesere urbem, opulentis videbatur: sed vtile omnibus. hoc, seruata Græciæ remedium. ratio preualuerat, desperatis rebus; non aliter eliminatam posse reuocari virtutem, sæpius euersis rebus, absque fructu. Antiquum Romanorum institutum tu infregisti primus, censu indicto Senatori: Domino id decorum, vtileque, seruos habere splendidos, & publici negligentes. Illustrem tuum senatum non inficior, cultu & gemmis; nec disparem luxuriosis regibus: si vidissem Pompeium, Cæsarem, Syllam, Marium, præposuissem: quia maximos quosque regum bello vel gloria vicerunt, togati & sagulati. Curij quam clari? quid obstabat paupertas? Si non iuuabat? Et hoc seculo non contemnendos habes, sed aliena indecenti felicitate, infelices. A. Verso sermone potius dicas. Inopia rerum distrahit animum, & mentem conturbat, cu-

ra necessariorum. Vnde uiuet qui vitam  
publico addixit? L. Habet Respublica  
prouentus, quibus redimat priuatas curas,  
commodaque. egestatis remedium, & o-  
missorum restitutio inde. Hinc, vita pu-  
blica tota, ultra naturam obstricta. Sine  
Principibus non male Respublicæ admini-  
strantur, amplissimis tamen redditibus au-  
cti, publico seruiunt. cur Senatui denegā-  
di, quo sine Respublica non est? Tua in-  
terest, si Dominus esse mauis, ut consili-  
arios habeas, non habeas Senatum, consi-  
lia ab obnoxijis tibi requires. Senatus, pri-  
stina specie populum Romanum decipit;  
mortuam obtrudendo dum non habet ve-  
ram. Te imperatore, retinebitur, digni-  
tas Romana. retinendi satis modorum sa-  
pientum fautori. Experiris tamen diffi-  
cultates, parum imminuta libertate; non-  
dum ciuium animis: quibus imminutis,  
externa inualescent; iam irritati, non susti-  
nebu[n]t.

nebuntur hostes. A. Velim alloquaris meū  
Caium; & cuiusquam in vrbe potioris, ex-  
plorare liberos: distingues, quos fortuna  
distinxit. vt animo corpus, ita corpori  
præstantiori domus & fortuna deputatur  
illustrior. L. Fateor puerascentes quibus-  
dam industriores adultos stolidiores mul-  
tis. Ratio in promptu: iucunda omnibus  
pueritia exercetur; ambitio, sequentia vi-  
tæ occupando, prudentiæ exercitium au-  
fert. nam plurimorum vsus, non postrema  
prudentiæ causa. Quid mirum si filiorum  
tuorum, obstupescimus iudicio? plena do-  
mus tua orbis terrarum patronis: alij fu-  
turos præcolunt dominos, captantque: a-  
liqui, eos honorando, te demerentur. ob-  
uij per pueritiã vniuersis, exercentur: Im-  
mutabit ista subsequens ætas, explodet cõ-  
uersationes maiestas: stupiditatis in prin-  
cipibus causa absolutis. Nō nonquam vul-  
garis stupiditas Regijs in Domibus reper-

ta. Affui, dum puer, vel infans Iberorum Regis coronaretur. Iure cæremoniarum, dum ei alapa leniter infligit Pontifex; a deo in grauem proruit fletum: vt ni vulgarem pueris stoliditatem, interrupisset & occultaret, fletui vicinus sopor: cessare à tam magnifico ritu debuissent. ita semiuuus Dominus integris seruis impositus.

A. Quod igitur Reipublicę ornamentum censes? L. Ingenia magna, js & fructus est. nemo ingenia non miratur: opes cõtempserunt aliqui, sunt qui despiciunt. Tanti æstima ingenia; quanti vires hostium potentissimi censes. Persæ cum in plurimas nationes imperium sibi arrogarent, socios appellabant Græcos; potiores ingenio Athenienses, prætulerunt reliquis. Fractus Persarum Rex ad Eurimodontem: cum famosas reciperet Cımoneas conditiones, amens dedecore: quid? inquit legatis, mihi deest ad rursus subiugandam Græci-



Græciam? ingentibus thesauris apertis; Dux, responderat Aristides, ingeniosus. Haud dubie inuicta Respublica, vbi, publicè opes ingentes, ingenia magna inter primores, ciues mediocriter opulenti. Quæ vsquam egregia Græcis, vrbi illata, constat: seuera aduersus luxû, vim, auaritiam, instituta vigeant; donec immutaretur Respublica: pariter apud vos vestis sericea, Senatori interdicta, tanquam dehonestamentum, ciuium seruilis vsus, & pleraque alia, publico commodo, nihil in speciem accommodatum. Publicè & priuatim Senatores magistri, vacui publico, armorum & equitandi vsu docebant: seposita cum Reipublicæ formâ omnia in superbiam abierunt. Pater tuus restituere volebat, monitis Senatoribus; ne sui muneris lanistas, participes faciant. Quid mirum talis sub senatu si eo fastigij res Romana venerat? A. Non raro corruptas Respubli-

cas, allegas: quomodo & quando corrupta? recense. Aliena promptius percipiuntur, magis occultantur propria, quæ mihi Romano ignota. L. Deueniemus eo, pars dicendorum erit. Te tangit vt scias faciasq; à Dijs tibi commissa; afflictam illicitamque, rectam felicemque restituere Rempubicam. A. Age & propera amabo te ô Lacon. L. Fortè abrumperis, ab hoc otio; negotijs, quæ te publica & crebriora manent. A. Nequaquam, audire non expediri propero: hoc præcipuum est, ex mala, rectam Rempubicam; felicē ex infelice facere patriam. neque prolatabo dum intellexero. Dij perdant Tyrannos, qui negligunt, aut data opera fouent aduersa. L. Incerta, quæ sparguntur de Chinensibus, Indisue. Orbis terrarum consensu, Græci sapientiâ præcellunt, accessit & bellica gloria, ingenij factus. Præceptis, quæ policij tradita; quia illa rati-  
oni,

oni, illis, respondebant euentus, datus vbi-  
que locus. Instituta vnus, & omnium  
auctoritas; extremæ: paucorum, con-  
nectebat vtramque, media specierum Rei-  
publicæ: & hæc magis probatur, Aristo-  
cracia appellata. Vnius regimen, defe-  
ctu virtutis inculpatum, sicut & multitudi-  
nis, ob turbas improbatur. Aristoteles  
ea de re vetustatis, placita & regulas, vul-  
gauerat, de Republica libro, Dominis inui-  
so, infensoque: sed dum corruptis mori-  
bus præualuissent, haustus liberis, nec e-  
ius præter memoriam, quicquam. Diui-  
ni tamen honores liberâ Græciâ, decreti  
Aristoteli. vrbe Atheniensium donatus, nec  
patriæ ipsum vsurpare licuit, Atheniensem  
negare, fuit crimini: iste, cæteris Aristo-  
cratiam prætulit: quia temperata placent,  
& meliorum gubernatio. Optimates se-  
natum appellauit, propter virtutem inge-  
niumuè. id sufficit regimini, cætera deser-  
uit, aut

uit, aut reprobauit. monuitque, opum rationem habendam, tanquam contagij publici: hac vna labe, infelix Aristocratia. Quippe, optimates, aut senatus, apparatus, seruitijs, vel dicam luxu certare cum cæperint, ijs, auctoritatem suam, publicamque, posse augere censentes: iam mutata in Oligarchiam, prauam & illicitam Reipubl. speciem. tum fit paucorum potentum Tyrannis, peior vnus tyrannide status. sed nescio quis malus genius, humanum excecauit genus, vt facilius multos, quàm vnū patiantur, tyrannos. Porro malorum perpetuum diffiduum, vertuntur mutuam in pernitiem armati, melior vincere non potest: armis parta, crudelitate retinere cēset, sublatis æqualibus de reliquis suspicatur; quod meruit. Inquieta semper, & nunquam secura, illa est Tyrānis, tot, tantorumque scriptis, & factis damnata: in hæc quasi ablegaretur tempora. Raro tamen

men Aristocratiâ vigentibus ingenijs, donec immensum excreuisset, vertitur: summa in fortuna magis ac magis indicenda mediocritas priuatim. vnus retinendę modus, aut pereundi materies. Intolerabilis prosperorum moles; quę, cum parauerit, statim deseritur virtus: secedit; succedit. superbia, inualefcit præclarorum contemptus. solius sapientię somnus domat famē, quam paupertas, sortita. Paucis retro annis in honore diuitiæ, tanquam pars auctoritatis esse cæperant. nullus bonis artibus locus, diuitijs omnia patebant, inuidiæ, cupidinis, & arrogantię stimulo. hinc turbę & seditiones mortales, exederunt Rempublicam. Sensim tamen & lentè contabuit, subactis Regibus, excisis hostibus, triumphato mundo, imperio quiete comparata. & quieta externis, ciuilibus corripiebatur bellis, insolentiâ locupletum. Exactis Regibus, quingentis annis culta, e-

M

xerce-

xercebatur virtus, vnde exempla præclare factorum potiora: corruptâ tandem Republicâ, exemplorum malignitatis, vltra satis. Haud exiguo tempore, aduersus eam improbitatem certatum; hinc occasio legum, in ambitum, in luxum, in auaritiam: & fuit repressa diuitum licentia: remissâ curiositate, resumebatur acrius, accitis qui adiuuarent, parui quæ sunt publica æstimantibus; quibus auxilijs opulenti peiores fiebant, & præuolentes Rempublicam perdidierunt. amplius non meliori obtemperatum, potentiori seruitum est.

A. Quid mali colligis? vbi diuitiarum respectus? L. Quia paupertas dedecori, & contemptui, virtus. Cessat omne virtutis studium: ante omnia sapientiæ, vnde imbibuntur, quæ hominibus & ciuitatibus conducunt, & necessaria. Liberalium professores, vacuis auditorijs præsident: & quia in scholis, publice solitudo est; dū sapien-

fapientes nusquam. Quam refertæ aulæ?  
quanta circa potentum latera, esurit aet-  
que iuuentus, inconstantes diuitias? igna-  
ri; spem, vani & fallacis commodi, nomē.  
Paulatim reuenit inertia, pulsa humanitate,  
retrahet exactam barbariem, hæc, egregia  
quæque contemnit. Magnum se quiuis  
imaginabitur. cæteros palam aut apud se  
despiciet, quod barbarorum vitium, con-  
trario eruditorum sensu: tunc opes non  
homines venerabuntur. Nudum homi-  
nem aspice, si decipi non vis; ponat laruas  
& sarcinas fortunæ, animū explicet, hunc,  
qualis quantusque taxa. suo an alieno ma-  
gnus, & quantum impendit, & quam soli-  
cité, temporis, ingenio: alioqui, corrup-  
pes maxima quæque ingenia, publici orna-  
menta & præsidia. Famam cuiusq; pon-  
dera: dum bona proderit, mala nocebit,  
semper. Frustra virtutis studium, vbi in-  
pretio opes. prima earum iuuentutis cu-

ra, ruditatis potissima causa. Quotus est? qui per fas dituisset? vix aliquis nō damno alieno, vel nemo: Improbilas diuitiarum, mater, paupertas virtutis & alumna. distentum, vtriq; impar ingenium, & si bonis intenditur artibus, cætera vt inferiora, negligit. Iactantia fastusq; diuitum, sonus & fumus; à sapientibus consilium petas. hoc, salus publica. Habes quod quæsiuisti. A. Rectè distinxisti licitam, ab illicita, Rempublicam. vtriusque limites deprehendi: paucis annis corrupta perstitit. Quod nimia mole corruisset, aliquorum, sed non idonea ratio. assentior corruptam, paulò post computruisse, tum, paci intererat ab vno moderari. L. Non inficior, id esse melius insolescente potentia, vt extremo in discrimine. At verò, vbi innotuerit, libertatem corruisse, qui nunc focij, hostilia meditabuntur, vlturi quod paruissent. animus quo constat bella, cum



la, cum libertate exuitur, non satis virium  
seruis: rei documentum, recens Variana  
clades; Romanis insolita, inaudita orbi.  
Foris dedecore, domi metu, aut damno  
angeris, intermissas stationes vigiliasque  
infortunio restituiſti, tanquam poſt quietē  
expergefactus. Verum quia ob virtutem,  
amaris, dubitant hostes: ſatis ad retinen-  
dum imperium & exiſtimationem, reme-  
diorum; curioſo & amabili principi. A. Di-  
ſtuli Rempublicam: in ea enim frequentia  
ciuium, præter Atticum, Mecænatemque,  
nemo ordine Senatorio dignus, vniuerſis  
per ſocordia in adulationē, vt diteſcant, pro-  
nis. & quoties mecum voluto eā indignitatē  
Romanorū. pudet me imperatorē Romanū  
eſſe: video accipiēdi auidos, præter negotiū  
ſubiugari poſſe. L. Reſtitute virtuti reddēda  
Reſpublica, an ruruſus dilacerandam ſcele-  
ratis dabis? A. Ardua difficile refici-  
untur. viuendi modo, immutatur corpus,

quaratione animus? L. Datis exemplis,  
 euelles improbitatem. Sis bonorum pro  
 tector, eruditorum amator, militię benefa-  
 ctor, seruitiorum & adulatorum osor, ci-  
 to eradicabis socordiam, cohibebis serui-  
 les animos, in adulationes mentes inten-  
 tas: ita reduces virtutem extorrem. reuo-  
 cabis antiquam Rempublicam, quæ cum  
 multo ciuium cruore effluxit: cautiorem  
 deinceps. A. Hic cardo rei. prolixius  
 singula, audire & dici velim. L. Quæ-  
 que iusseris, exequar. A. Quibus, & quo-  
 modo, conficiam exemplis, vrbis prauita-  
 tem? L. Faciendo, quæ ciues facere  
 velis, insectando, quæ nolis: perinde ma-  
 lorum bonorumque à Principibus origo.  
 Conformes principibus ciuium mores. Sis  
 morum, & quæ ex re publici, custos: re-  
 ficies collapsa. exemplo reficitur aut de-  
 struitur Respublica, cuncta imitatione  
 principis fieri. A. Ideo non de futura, ma-  
 ligno-

lignorum exempla. L. Quinimo. inferiorum improbitas videtur, à solis principibus, petuntur exempla: leuissimus etiam Principum motus, non absque publico sensu. A. Quomodo patrocinandum bonis? L. Facile id & officiosum principi, arcere vim & iniurias, sublato patrocinio; nisi aduersus refractarios iuri. Ingrauescunt iniurię patrocinijs, nec satis auctoritatis legibus; licentiosæ Reipublicę vitium; omnia patrocinijs, nihil iurè fieri, vel inuito. Metu aut exemplo, rem, tibi inuisam, faciet nemo. A. Non sufficet, si ipse non fecerim. L. Quomodo non fecisses, si non prohiberes, vel non vindicares facta? irritantur despiciendo flagitia. lenta ista, aut inchoatio tyrannidis est: & mala non statim maturant, incipiunt prius & vernant, consuetâ & bonis naturâ. A. Iniuriose, si fecero: mihi nullum ius in caput. ciuis Romani. L. Scio id recentioribus

exem-

exemplis, antiqua virtutis immunitate. lex  
 favore bonorum lata, vt auferatur vis, dū  
 prauitas deesset. Tu moribus accommo-  
 dato leges. Cunctando nec erige accu-  
 satum, nec quiritantem deprime. studio  
 operaque tua animabitur melior, conster-  
 nabitur nocens. Iuris custos, & libertatis  
 protector, inuitis malis, habebis. A.  
 Quomodo cruditorum fautor? L. Pau-  
 pertas sapientiam insectatur: destituitur  
 necessarijs vitæ, sapientiæ & ingenio de-  
 ditus. quanquam non flagitat indiget ta-  
 men, & vltro venientes admittit fortunas.  
 præbenda auxilia virtuti; que non adiuta,  
 tot aduersis hebescit, aut deficit egestate.  
 Ornamentum & firmiras publica, cruditi;  
 quorum ingenijs, felix populus, & ciui-  
 tas robusta. Inuenta ingenij, auxit vsus, sed  
 ab ingenio nihil non processit. Eo nomi-  
 ne Græcia felix, Archimedes fidem adstru-  
 it, Romanis expertus, & omni prædâ præ-  
 stantior

stantior concupitus, Marcello iudice Du-  
 ce haud vulgari. A. Vltimus is fuit indu-  
 striorum, nec futurus alter. L. Nunquã  
 otiosa mens humana, diebus acuitur ma-  
 gis: & de contemplatiuis, quis ambigit?  
 Elicerent vtilissima quæque ingenia, si per  
 patronos liceret: sed ingenium sine impen-  
 dio exercetur, opus nequaquam. contem-  
 ptu bonarum artium, orbis & humana di-  
 gnitas, vilior. Non inficior, omnes eo nõ  
 peruenturos, nemo tamen præter utilita-  
 tem: ille, immensa allaturus cõmoda, qui  
 superauerit reliquos. tanquam in oppugnã-  
 dis vrbibus, omnes aguntur, nemo non  
 prodest: qui portam murumue præoccu-  
 pauerit, præfertur reliquis. Imperfecti  
 homines, sed virtus perfecta, non intermis-  
 so studio, idoneum perficiet. Si lucerna,  
 opus habes affunde oleum: nec famam; si  
 non contempstisti virtutem. Immoriturã  
 ab ingenijs recipies gloriã. Clarus ingenio

N

Epicu-

Epicuri Idomeneus. ministrum esse constat Magni Regis. cuius? quis dicet? a deo ignotus est: forte neglectus, quia negligeret ingenia. A Militiam largitionibus firmari doctus sum, ut vulgum; iisdem tamen corrumpi, non repetitis exemplis verum est. quomodo separabis aduersa? L. Aliud eius rei arcanum, aut postea non iterandum: disrupta male concipiuntur. A. Seponamus potiora. Non capio quid velis, dum, ut serviles animos contemnam, ad exemplum mones. L. Ut simia gestus humanos ita populus Principum imitatur facta. Si aures tuas formaueris, ut nil nisi iucundum aut lesurum accipiant. suo loco motum quoduis experieris, & perpetua in veri ignorantia versaberis: ceteri assuescent adulationibus ut decipiant; is fructus adulationis. Ita omnis Romanus adulatione corrumpetur, aut corrumpet. Et quia quiuis suo adulatur amore:  
iisdem

ijsdem artibus oderunt, quibus adulabūtur suos Dominos adultores. Feruor & occasio huius prauitatis, aulicis tuis maxima, diluuiabit vt pestis vbiq̄ue, dum placuerit tibi. Eos si præposueris rebus, præter difficultates, malam de te præbebis opinionem: quia bono vsui non sunt, præmeditatis adulationibus consumpti. & dum malis imbuebantur artibus, bonas neglexerunt. & tibi & publico id nociuū, si perpendas curiosius. Infames otio aule, ignauissimi cuiusquam campus. spe, greges aulicorum aluntur, vanâ; & rursus, metu, qui sequitur spem, animo deiiciuntur ingenuo. quibusdam si aliqua virtutis scintilla, hi tanquam philtris in pecora transfigurantur, cupidine commodi, aut fallaci gratia: ijs non coercitis, quia sunt alienæ potentiaë membra, non tutum fuisset reddere Rempublicam. à quibus, quia quotidianum, acrius & periculosius malum. A-

lieno pane, vt otio illiberali corrumpuntur:  
 labori infueti, matrimonia timent, mode-  
 stos tanquam stupos execrantur & ipsam  
 virtutem. vim legibus fieri expetunt & ex-  
 pectant, factionibus occasiones & ministe-  
 ria præbent. vnde ambitiones, vis, rapinæ  
 seditiones; Rerumpublicarum pestes, hæc  
 omnia vltio infestabit Deorum. A. Vt-  
 cunq̄ cæteri magistratus, principatus  
 absque famulatu non persistet: aut quo-  
 modo seruabis maiestatem? L. Scio non  
 posse, sed vtendum cautis consilijs. ne pra-  
 uæ æmulationes gliscant & illiberale otiū.  
 Principum sunt manus ministri. manibus  
 & illicita patrantur. Spe, deteriora ser-  
 uitia, & ignauissimus quisque cupidior:  
 vbi præcideris spem, te molestiâ, periculo.  
 Rempubicam liberabis. A. Vnde ser-  
 uitia, aut præmia præstitorum? L. Apud  
 nos non ineptè addebantur senato-  
 res, Regibus in publicis ministri. in ijs quæ  
 seruilia.



seruilia fuissent libertis utebantur; stipendia ærarium obibat, adhibitus modus, ne essent insolita, quod nocet. A. Quomodo retinebitur auctoritas? inter bonos ut cunque: malos inter haud quaquam, & semper cum imperfectis uiuitur. L. Animo & iustitia firmatur maiestas, nec opus supplemento. si defuerint illa, magnis præsidijs non satis tuta auctoritas, ipsa infectante consciëntia, & odijs, ex iniustitiâ. Et verò non semper iusta causa triumphat, sed triumphata nunquam diu proteritur: crebra rei exempla; flagitia & virtutes exemplis vrgentur. A. Intellexi, quæ & quorsum dicta sunt, hoc in amplo sermone. L. Prolixitas memoriæ officit, intellectui breuitas. si cepisti, vereor ne memoriâ excidat. A. Iterabo quo firmitus & tu credas, & ego recorder. L. Mihi tecum, tibi de Republica loqui semper vacare debet. honesta non differenda, quæ cum

N 3 . tempo-

tempore fluunt non reuertura. A. Diffe-  
 ruimus quomodo mera Reipublicæ spe-  
 cies immutabilis fiat, aut sub principatu:  
 cuius vnica ratio, diuitiarum nullam ha-  
 bendo rationem. Retinet aut corrumpit  
 princeps rectitudinem publicam: eo vē-  
 tum est, vt constiterit nullam Rempubli-  
 cam, nisi Oligarchiæ crimine vitiatam pe-  
 rijffe, dum contemptui paupertas, in hono-  
 re diuitiæ fuerunt. Sed dum tres rectas  
 Reipublicæ species constituisti, omnibus  
 né, quæ dicta sunt attribuenda? L. Vbi  
 que virtuti locus, sed alteri magis alibi, de  
 Aristocratia, & Democratia quæ dixi in-  
 telligi velim. Ratio in omnibus sequen-  
 da, sensibus, vt belluæ, reguntur diuites. Au-  
 reum seculum regnantibus sapientibus; sci-  
 licet quia regnabant, Possidonius deducit.  
 Nec male. Solonem, Lycurgum dedisse  
 leges constat, sapientibus tanti paruerunt  
 populi: imperio & obsequio pariter lau-  
 dabile.

dabili. nam recte imperanti bene pare-  
tur. Sapiens est artifex mala domandi.  
nec indiget præter libertatem, & intra li-  
beros vt uiuat. Et dum sensu caret, tan-  
quam sola esset ratio; mutationis pericula  
effugit, & prohibet mutari sibi annexos.  
A. Rogo accedas, ad reliquas formas. Cur  
non regno. L. Nullus hic Senatus: Neq;  
sapientissimus consiliario, aut optimus cor-  
rectore opus habet. A. Quid censes de  
Rege, & Senatu, passim hæc forma regi-  
minis tractatur. & huic seculo vulgaris? L.  
Inuiti fatentur, humanas vires impares Re-  
giæ dignitati. adiiciuntur, qui perficiant,  
quod deest, vel cohibeant, quos rigidum.  
Iam dictum, Cæleste regimen regnum.  
quia ultra vires & conditionem humanã.  
nemo sine errore vel affectione, quas pas-  
siones animi, periti; defectus commodè  
appellabuntur. Et absolutum imperium,  
non distat à tyranno, qui propter mores di-  
uersi.

uerfi; nemo per leges mansuetus. A. Quo igitur referes eam regiminis formam? L. Nequaquam in occulto est Rex caput optimatum, quod verius princeps Senatus, ab hoc Aristocratia forma. Talis apud nos, atq; ad hanc speciem, sapientissimis eam referentibus: quia habebamus Reges, non tamen habebamur. nemo regnum, omnes Rempublicam appella- uere. Rex regebat, senatus decerne- bat ut commodum publico videbatur. A. Cur mistam speciem detrectas? L. Naturæ applico artem, quæ imi- tatur naturam: complexionones miscen- tur, ubiq; tamen certa est. admittentes commistione quintam, ineptè philosophā- tur. A. Si vnus absq; Senatu regnaret? L. Monarchiam vel Tyrannidem, familiaria sibi nomina regimenque, mitior monar- cha, dum non facit quod potest. vtraque aduersa regno. A. Inuita vetustas, vnius, dicta

Dictatore creato, approbabat regimen. ni  
fecerint perituri. L. Omnium id discrimi-  
mine factitatum, bellicosiori publica con-  
credebatur salus. incertum vitæ, tyranni-  
dis non incessit cupido & dum suam pro-  
tegit, vnâ publicam, eripit, periculo vi-  
tam. Audendo in discrimine consulitur  
rebus; suspiciones & incerti metus, con-  
silijs imminuuntur: perijt qui vrgente ho-  
ste deliberat, & consultando tempus fa-  
ciendi, perdit. Dictatore creato iustiti-  
um indicebatur, sublatis consilijs, impe-  
rium vigeat. Tyrannica quidem sed bre-  
uis, & vltimo discrimini accommodata po-  
testas. extrema audendo, vis aduersorum,  
supremo in discrimine, tentanda. A. Igi-  
tur nullum regni arcanum afferes. L.  
Frustra id: & si fuisset, quis sapientissimū  
docebit, aut corriget optimum? Tyran-  
ni quid facto opus est, nouerunt; vtinam  
& subditi noscant: mihi cum hostibus ge-  
neris

neris humani, nihil. A. Satis de Aristocratia, ad propositum; & de Oligarchia indirecte. Difficilius Democratia componitur; & crebriores motus. ne fiant, quid facto, opus est? L. Plebs nobilitatis æmula, motuum causa & mutationis. sublata nobilitate, aut prohibita plebe æqualitas secura, & salutaris Democratia, nec ultra seditioni materies. Apud nos dum nō esset, qui contemneret, vel contemneretur, summa tranquillitas: aut nemo nobilis, aut nemo Spartanorum plebeius. Tum concidimus, dum ditiores ampliori loco, posuissimus; Dominos, à ciuibus discernentes, Sæpe apud vos, ne sit populus inferior, eluctatus, aut accisus ne exurgeret. A. Lite mundus conseruatur, & res Romanorum creuerunt. L. Tandē seditione ex discordia infirmata. Oppressus in Mario populus, arma sed non odium deposuerat; eadem cum resumpsit, se-

rat, ferocior, in vindicanda auctoritate acrius, armato Cæsare vicit. Sine partibus, gentium victor Cæsar, Reipublicæ subditus fuisset: ita malis labefactata internis, aduersus quosque olim validissima Roma.

A. Quas Democratix censes virtutes? L. Audaciam, legum obseruantiam, patriæ amorem, vim & robur præ cæteris. Detrectare instituta, vitium Aristocratix; legum ciuiumque, confusionis, causa. Ni fortuna nimia adesset, nullum intra malum, externorum vehemens tolerantia. Præcipitibus quoque consilijs infamis, sed immerito, dum rarò non processerint. Quippe multitudo acrior, in exequendis suis decretis, principibus, qui, suis innixi consilijs: quibus, boni suspecti, quos metunt; mali, nemini vtiles: præbitori suo addicti, magis qui plus dederit, fluxæ fidei irritamentum. A. Cupio iterari, exitiorum fontes, vnde promanant? L. Re-

gnum, Diuina potestas: in terris nec iustum nec diuturnum, si esset; pronus quisque corrumpi: vnius cura, aut remittitur, aut exuberat, & temperata non intenduntur sine vitio. inde Tyrannis, vel ubique si sub sole, sine Senatu regnum esset. In Aristocratia, dum opum, quam virtutis maior ratio: iam corruptum, quod rectum fuit; publico impendet exitium. Democratia populi arrogantiam euertitur, qui semper fortunæ nimius: intolerabilis plebeio animo prosperorum moles. Ita, in Aristocratia opes, priuatim: in Democratia & felicitas publicè nimia, perniciem afferunt. Intendes admodum ingenia, quibus internam temperantiam retinebis, & vim aduersus externa augebis, si selectioribus delectis: Reipub. officia capeffere iusseris. A. Discedamus quantocyus: tonat. præter inditam mihi naturam formidinem tonitruum, intermittere consilia publico profutura.



futura, religio est. L. Superstitiosa hæc & dum necessarias & naturales perpendo causas. vana. A. Inualuit experimentum contra rationes. Eclipses & chaumata quoque, ab iisdem principijs, quando absque atrocissimo euentu?

## Dialogus Quintus.

*Recti & non seditiosi populi faciendi modus: ne presentium tædio, aut nouorum corripiantur desiderio.*

Sensus sapientum ab indoctis diuersi, illi non immorantur quæ apparent: hærent, in quibus momentum. Magnificè de vrbe omnes, pariter tu loqueris. altiùs cum aduertisses; quid rei? L. Vacua & plena Roma, repleta magis quàm habitatur. Virtuti olim augustæ domus, nunc focior diæ angustæ. ô subitanè ad extrema

transitionem. ne cœlorum tam vehemens  
 influxus visque: sensim demittuntur altio-  
 ra: Roma prius corrupta, quàm corrup-  
 pi audiretur. Tam prompta omnibus ser-  
 uire, quàm nuper imperandi audax. A.  
 Quæ indignandi causa? nil mirum reliqua  
 mutari, qui tam repentè mutatus sis. L.  
 Non eadem persequor, quæ prosequor:  
 dispares domibus habitatores. Non lau-  
 des animum corporis ob pulchritudinem:  
 animus, dehonestabit, aut attollet diuer-  
 sorium. Aulæ à domino honestamentum,  
 vel dedecus. A. Quid displicet, quod tã-  
 ti sper insectaris. L. Placere tibi tota in-  
 clinata vrbs; id operæ pretium si bonas  
 æmularentur artes, sed nemo non  
 ruit in adulationes, turpissimum seruitutis  
 crimen, cœrces tua virtute, tanta vrbs  
 tuaque dedecora: vbi immanior imperi-  
 taret, vrbs ista mancipiorum stabulum fuisset.  
 Quod gratiosus tibi sim, increbuit.

rumor.

rumor: tanta vndique contentione excipiebar, vt fatigarer etiam ea voluptate. Redux, turbas exciuisse putabam. plausa & acclamationibus obstrepabant viæ: te adulantes, me demerebantur, placendi studio non intermisso. incomperto, si aliqua est, mea virtute: quæ digna amari sed raro amatur. A. Me honorantes fecerunt, idem arrogant Attico Mecænatique; meis, maioribus etiam dignissimis. L. Non potes me amico & adulatore vti; liber in domo Principis versor, vt ingressus sum. Digni sunt viri isti non simulatis honoribus, qui contempserunt veros. Tua gratiâ creuerunt, cessabuntque: alieno id beneficio nequaquam sua consequuti virtute. Sepone, dum modo possis, in columi tua fortuna; vt vani contemnantur. Assume mulierem, nil refert prudentem stolidamne, nobilem aut vulgarem, cuncta imperij eodem transferes. Certabunt.

bunt perfidi adultores, placendi artibus: quia nihil quam fingere facilius. Rara inter seruientes virtus, aut latitat: quæ in adulantium gregibus, indignitatis humanæ verecundiâ, non versatur. A. Corrupti sunt hi mores, vnde proueniant, & qua via præueniendi, adinuenire: inter primas generis humani vtilitates. L. Id animo heret, dicam vt facias. Præcesserunt seditiones graues vniuersis molestæ, quarum tædio, ignavis & vulgo, tolerabilior seruitus, quæ sub clemente & felice Domino magis allicit. Metu tamen inexperti status, in seruiles prouunt adulationes, quas non nulli cupiditatis studio intendunt, vt placeant: haud difficile istis artibus, improbos capiunt Dominos. quibus, viri iusti, sapientes, cordati, terrori; quod hominū genus adulari deditic; nec potest. Seditionibus acriter affliguntur ciues, & præsentium odio, noua opperuntur & iuant;

uant; nec in spem aliter elabuntur. Qui-  
es publica, quanto pretio? Anilibus  
primo dissipatur fermunculis: mox  
assumunt vires, & publicis excepti rumo-  
ribus, asperant omnes atque excutiunt ob  
sequium: hoc, seditio est; Tibi infesta:  
tametsi non struxeris animo, causa tamen  
es. Tot tantisque malis, obuiam ibis; re-  
ctos, si habueris magistratus. Cuncta vi-  
tia populi amouebis, quietos in obsequio  
retinebis, tui amantissimos facies & laudū  
tuarum deprædicatores. Commodum ista  
publico, sed fructus tuus erit. Malis ma-  
gistratibus, insolescunt seditioes, & tur-  
ba malorum, quæ ciuitati damnum, tibi in-  
uidiam conflabunt. Tui vnus inuidiā cun-  
cta, quæ passim à magistratibus patrabun-  
tur. Hoc retinendæ quietis in Republi-  
ca arcanum, & prohibendarum seditio-  
num caput: pacem sine iustitia non retine-  
bis. A. Latitat & apparet res quam ob-  
P tendis.

tendis. serius edicenda in quibus difficultas & cardo, nec festinato opus. mihi nō honestius otium, nec tu perdes tēpus, dum eo modo collocaueris. grato & non in irritum dices. Et ciues crudo perculsi dominio, meæ adscribent rectitudini, & tuæ imputabunt sapientiæ: si restituta Republica vniuersis reddetur libertas. L. Mihi vacat colloqui tecum; nec impendi iustius temporis vsura potest, quam omnium commodis. Vnum, quod corrumpit ciues, malus, vel non idoneus magistratus. A. Quid? connexa separas? L. Diuersa sunt modo intendas mentem. Malus magistratus non facit quæ debet: non idoneus, faceret si potuisset. A. Conquiesco, nec confundam distincta. missa hæc faciamus. Capiō corruptelæ causam, sed si non sum, cuperem esse optimus Princeps, & instrui. Ambitiosum Romanorum nomen, animusque excelsus, aliter cicurari non

non possunt, nisi vitæ & imperij Principis accersentur decora. Et mihi gloriosum, & subditis amabile futurum, egregia & aperta frui conuersatione. Virtute nomē Romanorum creuerat: protritum, spem reuirescendi habebit. Ediffere quæ egregia in eam rem habes comperta. L. Beneficijs vinciri genus humanum, res supra experientiam verior: ita amici retinentur, hostes etiam hac via emercari, dum conducit, solemus. Liberalitate Principes vim suam firmant, hæc Regia virtus, quam si dempseris, non erit, quod dat Regibus faciem. Nec ideo omnibus largiri debes, nec potes si deberes. citius euacuares æraria quàm repleuisses turbam. Rationes tamen beneficiorum in omnes quærēdæ. quæ prostant, non omittendæ, ne quæque virtutum sit frustra, vel transmutetur formam. Satis vniuersis præstabis beneficiorum & clementiæ, si iustos & prom-

ptos institueris magistratus. Magnum hoc quia publicum bonum, totum tamen singulorum est. Magna pars beneficiorum iudicium, aut maleficiorum si iniquum. Bonis magistratibus, euellitur improbitas, retinetur obsequium. Rectis recta fouentur, mala irritantur malis. Omnia quæ publicè fiunt, à magistratibus vim, speciem que suam assumunt. Modestos, pacificos, fidei amantes, tuos habebis ciues: nec fora litibus plena, nec inopia & improbitas inter ciues vel in vrbe grassabitur, rectis magistratibus. Sanitas hæc Reipublicæ. Tuâ id virtute; quam alij vsurpantes, distrahunt. Aduersa tibi, & publico experieris vniuersa: dum magistratus dispar suo officio. Ista sunt irritamenta turbarum, nec in publico diuersa perquire mali capita. Et verò non tantum pronum, sed præceps ad deteriora iter. sine duce, sine comite patet, quanquam & eorum satis: ni magistratibus co-



bus cohibeantur, nulla ætate sponte confident maleficia. Quisque suam, magistratum sustentat improbitate. Nec duntaxat fouent, sed augent flagitia & iniquitatem. virtutes, & æquitatis exercitationes pænè eripiendo. Emuntur iudicia & iudices, non vt paucis retro annis, iustitia, sed iniustitia venditur: minus crimine, quam absolute peccatur. Et dum metu cōscientiæ potentibus seruiunt, virtutis studium excutiant, auaritiæ irritant, tanquã immunitatis ex opibus. iam violentissimus quisque rapinis ardentius inhiat, vt luxum sustentet, & redimat flagitiã. Abiectissimus, qui est modestissimus, nec infert vim aut iniuriam, & procul ab ambitione. Ita in manibus improborum fora, iudices, & publicum; execrantes confusionem, latitant boni. Recens sed accommodatum habes rei argumentum, parricidam hostem Romani nominis Iugurtham. is omnia

meruerat supplicia, qui omnium absolutus iudicio: absque extenuatione criminis, passim, & in Senatu pro eo sententiæ, tanto acriores, quanto maiora accipiendi spes, vel flagitandi prætextus. Satis vulgari- bus perfidiæ documentis, dixit Romæ & præualuit causâ. magna vi pecuniæ & au- ri præmissis, ab imis seruatorum, ad supre- mos vsque summi cuiusquam Senatorum onultis, sed præcipuum ab vxoribus iuu- men. Legatis, componendam fratrum discordiam, decreuerant: vt mitteretur; repertor decreti, id temporis Opimius po- tentissimus, affectauit, obtinuitque; nimia subnixus potentiâ, qua diu, nunquam bene vsus est. A. Agnitus error, & pæna re- dundauit in auctorem, pulsus & in exilio pe- rijt. Errare mortalibus innatum, corri- gi humanum est. L. Singulorum, & pu- blicos errores similes, sed non æquales fa- tere. non corriguntur publici, vbi cor-  
rupta

rupta Respublica, quæ semper corrigitur  
& errat, quia quod fit nemini placet, dum  
in metu nulla constantia. Ob redundan-  
tiam improbitatis & perfidiæ, multiplica-  
tur leges, sed non corriguntur facta. Por-  
rò. Rerumpubl. rectè ordinarum nulla  
perijt, nisi magistratum iniquitate turba-  
ta: ea, dum Roma turbari cepisset, legibus  
itum obuiam, sed frustra, dum non esset,  
qui pareret, disuetis parendo potentibus,  
cæteri exemplis protegebantur. Iam im-  
minentia vrbi, pepercerunt fata, Iugur-  
tham perdiderant. A. Non inficior, gra-  
ue hoc fuisse iudiciorum peccatum: mox  
reprehensum nec resumptum posthac.  
Satis est laudis bis non errare, ne  
semper erremus & corrigamur. L. Cõmu-  
nis ea ruinosis Rebus publicis labes: & nos la-  
befactatis legibus sub Agesilao, Agide, Cle-  
omene Regibus, eluctabamur: tandem  
tantis fessi difficultatibus corruimus. Non  
Roma

Romanis id vitij exprobrio, sed rem vt penetres, e domesticis potius, tanquam presentibus, nec extra oculos diffitis. Auctæ leges crebris flagitiis; magistratum iniquitate. Quo firmiter credas, expende. Cæpta, & coalita magistratum iniquitas, Clodium in rapinas, stupra & contemptum Deorum pellegerat. Idem sacrorum ac iudiciorum scelestissimus corruptor, nefandum auditu memorare: satis dicam, scelus sceleribus redemit. æternum, Romanis infamiæ nota, tale ob salarium, duratura. Dein audebat potuitque, quantum sceleratissimus quisque. Magistratus in eo vitiū. Nō contumeliosè loquor; suspicaris? collige. Ingēs ex Africa Vatinio aduehebatur pecunia, cauti⁹, vt opus erat, id temporis infestis latrocinio vijs: nō processerant insidiæ. Incusanti suam fortunam; amico, dum reprehendit audaciā. respondet Clodius. erogata in magistratus parte,

parte, alteram vsui suo cessuram, ita innocentiam cum præda retenturum. Nec Catilina relumpisset iteratò coniurationem nisi prioris iudicij memoria animaretur. bonâ fortunâ periijt, ne rursus elaberetur iudicij, tanta immanitas. Quomodo non moueri potuit populus, tot talibusque turbinibus? gliscentibus ob iniurias odijs, quæ ni vlciscantur durant. Altera post perfidiam, mali magistratus pars est, negligentia; damnis acerba ob prolationes: ipsis quoque reis amore veri inuidiosa, si anceps negotium; & quia non aspernantur iudicia, asperat prolationis crimen, in apertis litibus condemnant. Quanquam tali magistratu læti, sed vis veri validior; contra, quam cupimus, sentimus; & sæpe eum clam condemnamus, qui nos aperte absoluit. Bonis magistratibus opus est, quorum prudentiâ ac diligentia continetur ciuitas: medici sunt publici, sanitatis con-

Q

serua-

seruatores, promptę in valetudinem ciuitatis. A. Præter exempla verum est, vnā, & potissimam causarum, eam esse improbitatis ciuium, & seditionum occasionem: nam quod displicet conturbat. Fateor negligentiam esse apertam: perfidia quo maior, occultius fit, nec facile in apertum abit. L. Exploratum cognoscere promptum, vbi nolis publicos sequi rumores, qui vani non sunt; ni iura contemnas Diuina humanaque. Partes ante & post iudicium, non admittere iusti magistratus est, vel, ita fiunt, & exsoluuntur pactiones. Et præoccupatus imbibit errorem animus, nedū spe corruptus. Tibi aut Reipubl. quisquis, id generis hominibus, eos magistratus dederit gerendos, aggerunt odium, & infamiam neſtunt: tanquam à te tot malorum ortum sumant flumina & fontes. Te, & præsentia execrabuntur, futurorum percupidi & molitores; simul tecum, mala  
 hæc :

hæc, peritura credentes. A. Cur alieno  
scelere infectaris Principes & Respublicas?  
L. Nam magistratus, tua aut Reipublicæ  
imago, quam exprimit: magistratibus, qui-  
bus publica administrantur, contineri Res-  
publicas; & eorum compositione, quod,  
cuiusquam Reipublicæ genus sit, intelligi.  
Tuam illi vel Reipublicæ exprimunt per-  
sonas, et sunt proximiores moribus viteque.  
Omnis magistratus pars publica aut Prin-  
cipis: totum ex partibus ut fit, ita cogno-  
scitur. Non requiras, qualis Princeps  
vel Respublica, intueri magistratus cogno-  
sces: si ad fas nefasque venales, vitium in  
supremis est: ab æquitate recessus, alte-  
ro in extremorum notabilior, tanquam in  
effectu virtus agentis. In principem vel  
Rempublicam lacrymæ & questus, vnde  
magistratibus auctoritas, iustitiæ in primis.  
Frequentia quiritantium, & quotidianæ  
iniuriæ, asperant ciues & infurorem agunt.

mala loquendi de magistratu, cuncta in pe-  
 ius. iuxta vulgi ingenia, in quibus rumo-  
 res consistunt. Et traducitur summus quis  
 que magistratus, tanquam inde petita e-  
 xempla, labemque contactu processisse.  
 Summa maiestas sola retinetur iustitia,  
 quam propter excogitata ac instituta est.  
 Odia, obtrectiones, maledicentiæ inde,  
 & nouarum rerum cupido, præsentium  
 execratio: vulgus ita, ad multiloquia pro-  
 num, ad vltionem data occasione, cum te-  
 meritate audax. Nobilitas vrgentior, ru-  
 moribus excita, ex se languida, vt magni  
 à paruis excitantur canibus. A. Scio e-  
 go à Republica aut principibus institui ma-  
 gistratus: sed alijs fasò aliena imputantur  
 flagitia. Quis eo vsque improbus, cui nõ  
 esset sceleri improbitas? L. Principi  
 imputari quæque, palam est. rerum gesta-  
 rum gloria, non alteri adscribitur, falso v-  
 surpat alter. Cyro inscripta, quæ gesse-  
 rant



rant Persæ: tibi quæ Romani, Actiaco aut Dacico bello, Romanis, quæ Scipio in Carthaginenses. Scelerum maius odium, quam ex virtute decor: inuenies irremuneratos, & qui rectè fecerunt gratis, si impune peccatur cunctos formido, princeps execratio manet. Hæc causa seditiosi populi, & conturbatæ, Reipublicæ & extra formam. A. Ita est. causâ quæ latet, applica. L. Iniquitas præuenit cætera, ante omnia magistratus occupat, vt ex sublimi vrgentiùs & magis feriat. ditioribus obtemperans, pauperiem contemnendo, virtutem infamat: habendi studium irritatur. en proles iniquitatis auaritia, esse & haberi opulentum. Spreta pauperie, diuitijs honor decusque: iam inutile virtutis studium, opū, gloriosum etiam & ingens, metu iniuriarum, quæ ad opulentos non penetrant. Infami Republica vel principe iniquitate, excititur rumoribus vel conturbatur obse-

quium potior qui dicitur, potentissimus, Princeps habebitur. Nunc ad Oligarchiæ peruenimus initium, potentiorumque regimen: Propter magistratum iniquitatem, & iniustitiæ odium, exorsus princeps vel principatus, Duces seditionum, partium studijs armabuntur: tanquam Regem cum lege facturi, restitutâ iustitiâ. Passim iam inuehitur in principem, quasi vno regi, dedecus: & præteritorum falsa interdum comparatio exasperat, præsentia interpretando. Summorum quisque, non defectu virtutis sed scelere fastidiunt supremum, populi affectione læti & audaciores. proni in præcipitia, fugientes: exacerbati, in iras. Ipsa iniuriâ, inuisior iniuriosus, quem vlcisci, ingens solatium. A. Dies noctesque meditabar cõtinuas, ista & maxima maiestati pericula: erexisti & confirmasti nutantem, quid faciendum? non ambigo. indicam magi-  
strati-

stratibus iudiciorum leges sanctissime custodiendas. L. Intendes malorum iniquitates, prætextu legum & imperij, prædandi occasionum satis, verecundiæ nihil. In delatos animadvertant, nisi sit sanguinis causa aut perduellionis suspicio. mortui non urgent causas: nec hostibus si detulerint, danda fides. Satis eorū qui simulant iniurias, nemo exiguam deseret, facili magistratus æquitate. Pereunt aut resuscitantur iudicijs iniuriæ. Heri, visendorum Marij trophæorum causa, portam Campenā præteriens in singultus, lacrymas, diras, & deuotiones, imprecantium incideram, magno adstantium fremitu: quærenti, data mihi causa: Egenos quosdam, suam & alienam subleuaturi egestatem, tulisse panes, parui vendendos, per apparitores M. Quæstoris concussi, ereptos lamētabantur: Moniti; vim legibus fieri, adstruebant, societati pistorum auferentes lucra.

Verum

Verum iniuriosè eripitur, quod iure accipi potest. Quamquam iniuriarum & flagitij prætextum, cum legem deprehendissem, sed cum statò mercatui die id fieret, publicum latrocinium cur illud non appellabo? magis indigemus pane quam medicamentis, quæ nunquam prohibentur, quibus vivere permissum. Favore populi, aliqui dies hebdomadæ, & aliquot hebdomadæ anni, conceduntur huic vsui. Omnium quam paucorum melius consulitur commodis. Cæcus quisque sua in causa facile aberrat. Nemini res suas vindicare permissum. Si sola auctoritas ad hoc sufficit, tyrannica est, quia pro ratione voluntas. Sit iudex, accusator, reus; vetus iudicij & iustitiæ, hæc forma, naturaque: quæ euertis, ubi sustuleris vnum. Lætus iniurijs magistratus, peior auiditate commodi prædæque: & malis prætextus sufficit. A. Penetrauerunt ad me lachrymæ sed molarum iacturam,

cturā, quæstores allegant. L. Igitur damno alieno viues? Fac cognoscas causam, videbis, non frustra fieri: remotiores peti, quia tuæ damnosæ. A. Quid censes, de opificum societate? quorum fauore, vendendi quæ aliquis posset, sublata libertas. L. Videntes corrumpunt, ementes aggrauant caritate. Libertate quæstum, ditatur populus, & inualefcit Respublica. quid vltra requires? A, Prudens in cæteris, ne in hoc Numa reprehendendus. L. Potior rationum, exempli auctoritas. Sanè vrbis corrigendæ, non aggrauandi populi, Numæ, ratio instituti: Corruperunt imperiti magistratus, quæ non conceperunt instituta. specie demerendi paucos impositum omnibus iugum. Quo tuos magistratus cognoscas, referam cui adfui egregium Proprætoris Urbani decretum. Vini aliquot vasa, contra leges vrbi inuenta, caupones diripuerunt: accusat Dominus,

minus, rei, obtendunt priuilegia, & iam vim eluisse videbatur: ni accusator, diluta pro integris vulgo diuendi adstruxisset. cōperto, lege condemnati contra quam peccauerunt: & fuisset impium, omnes paucorum subijci iniurijs: rarum, ob iniquitatem iudiciorum, mihi non subticendū decretū. Bello apud exteros, obuenciet tibi gloria: abundantia domi, aut cōplebitur. Facile principi nomen, atq; prospera recordatio sui, præter pericula damnaque data vendendi libertate, sibi consulit & omnibus, aucto cuiusq; censu. Nec inde damnū; gloria ingens amorq;, tanquam felicitas, redūdaret in publicū, & omnes. Mala tua fortuna, si egestas ingruat in urbem, illā se affici populus lamentabitur. Aduersa maximē imputantur supremis; prosperorum multi æmuli, asciscunt aut vsurpant improbè quod Tuum est. Solida tibi abundantia gloria. vel dedecus vtensilium caritate, hæc necessitate quotidiana cito ingra-

ingrauescunt, & attenuant plebem, quæ, concessâ vitâ, iniquè imminuuntur. Vendendi libertas ditat plebem, eumentibus oportuna. Nondum coaluerat, è diuersis populis Roma, suam quoque originem retinente & iactante: perniciem auertit Numa, institutis artificum societatibus, quibus coalitis, Romano omnes concesserunt nomini, hac arte elusa, peruicacia vrbano- rum. Plurimum, consulis tuæ felicitati vbi abrogaueris, quæ vulgo onerosa, & auaritiam cohibebis magistratum: qui obtentu legum speciosam habent prædandi facultatem. Certum discordiæ ex caritate initium. Seditiosum, & incuriosum populum, sæpe vrbs per egestatem experta: mali vnum remedium, abundantia. Verba non admittit, quia venter auribus caret. A. Intermissum incurioso Senatu, existimavi restituendum, adsequor prudenter oblitteratum: iuro, in vrbe, & per Italiã

me hoc non passurum, sit quiuis iuxta ingenium curiosus sui. L. Si feceris, tua inde gloria decusque, lætus tuo imperio populus, & felix: magistratus perficient reliqua, bono & obsequente conseruato populo, gloriosa de te loquente. Si vis nemini, ius cuique patebit, summi quiq; magistratum optimi; decora principatus aut Reipublicæ. Malis nos conturbati magistratibus: bonis & vos creuistis, hostibus etiam in societatem pertractis. nos iniquitate magistratum, amisimus amicos. Paulus Emilius Macédones, Lucullus Asiaticos, Quinctius Græcos, effecere, vt essent ex hostibus amici. Dein magistratum iniquitate infame Romanorum nomen, socios alienauit, Urbem conturbauit, & penè euertit. Olim conscientia Senatus seruatus Pyrrhus, ne caderet inuictus: antequã uinceretur, innocens. Nunc Iugurtha proditione receptus; non potuit aliter sceleratus,



tus ab iniquis vinci. A. Nimum in nostra debaccharis tempora, ita moris, præsentia laceffere, mirari antiqua. Violatæ fidei crimen atrocissimum, virginumque raptarum, reperies in vetustate. L. Infantia illa fuit, nondum disciplinâ, legibusque informata vrbe. Sancta vrbs, legibus & magistratibus sacrosanctis, horum iniquitas corrumpit populum, violando disciplinam, Rerumpub. animam. Quam afflictum populum tuum vidisses, per urbem, ciuitates, oppida, villas: inualescunt in dies rapinæ, visque, & suprema egestas, turbarum fomes. Intentus cōmodis magistratus, iustitiæ deest: prorogat iudicia, vt largitiones gliscât, mali, alieno potiores, boni vi aut iniurijs exhausti, pessim⁹ quisq; in alienū ruit, modestissimi de residuo solliciti, declinât iudicia, quia iudicâtur semper, diiudicantur nūquam, multitudine discrepantium iuriū. Olim duodecim tabularum

larum, pro magnitudine imperij satis legum; Sylla auxerat, postea Lepidus vel pessimus quisque Tribunorum, dum non in facta, sed in personas leges ferebantur, immensum: & durat ista iniquitatis occasio. Ex iniurijs discordia, odia, similtates, seditiones, te in primis infamant. quanquam optimus sis princeps, Pater Patriæ Augustus, appellaris: quia diuturnam licentiam cõercuisti, satis post multas afflictiones solatij. A. Dicere quod sentit quisque liceat, plus nobis cælo concessum, dum illis malè facere possumus. L. Non potes tametsi velis prohibere, nisi in maius irrites. Correxisti aliquantisper magistratus, sed omniũ difficillimè, corrigitur populus: loquendo vulgus peccat, sed nobilissimum quemque incendit, intendere vera, aggerere falsa, per egestatem, & depeculationes solet, & multos refouere haud promptum, si incipientibus non itum obuiam.

Facile

Facile beneficiorum, iniuriarum obliuiscimur nunquam, traducendo vlciscitur vulgus, donec pateant maiora. Inculco, non itero dicta. Non peccat sine materie sermonibus vulgus: facile multitudini patet, & famâ excrescit, quod in Principibus infame: publica necessitate attenuatum, incuriosum fit; otium, sermones nutrit. A. Inibo cum meis quæstoribus rationes, subleuandi populum, crebris & interruptis dationibus, vt amota egestate, imbibita extrudant vitia, & intermittant comparationes præsentium ad præterita, aut interpretationes falsas. Ex haustum ærarium, vrserat facta; orbe pacato, domi, fructu pacis fruamur, nec populi distrahatur labor. L. Parsimonia, & recta administratione, ditantur æraria. Tractantes quantopere ditati? hinc publicè & priuatim egestas. obrectatio tui, præsentium cædium, mutationis & rerum nouarum.

uarum cupido. Ingens excogitabis ve-  
ctigal, vbi abegeris istas sanguifugas, quæ  
infamant nomen tuum, imperiumque. In-  
iustitiam profligabis, paucitate apertarum  
legum, quæ solis faueant bonis: In multo  
rerum ambitu, satis errorum, & fauere e-  
tiam improbis licentia. De reducendis  
ad paucitatem legibus, quot Senatuscon-  
sulta factionibus malorum irrita? Durius  
institerat Pompeius, sed distractus non con-  
fecerat. Tu, auctoritate, viribus, & ingenio  
potior, legibus in ordinem reductis, magi-  
stratum perfidiam amputabis, grande se-  
ditionum momentum. A. Protraximus  
colloquium, inclinata die tempus cænæ  
aderit: ne per otium adultores me inuadât,  
antequam vocemur, pergamus, videndum  
rhinocerotem recenter adductum. L. O-  
quam famosus rhinocerotis nasus, & ipsam  
belluam stupendam! opinor, non visam  
aliàs Romanis. A. Semel ante, Pompeio  
specta-

Spectacula edente, quibus deuinxerat ple-  
 bem. Vastior fertur ille taurum in aera  
 sublimem iccerat: mas ille & iste, femi-  
 nam non reperiri aiunt, & nemo vsquam  
 vidit, agilitas ea in vastissima molè admi-  
 randa, quâ prostermit elephantem, cetera  
 robustiorem, & ni primo congressu ven-  
 trem præoccupauerit, quanquam benè  
 munitus, proboscide dilaniatur. quare in  
 magna similitudine, ingenerauisset, anti-  
 pathiam natura? incompertum. L. Hoc-  
 ne est cornu contra venena expertum an-  
 tidotum? A. vide ne confundas Mono-  
 cerotis; rhinocerotis penitus inutile: de il-  
 lo multi, ad ambages vsque, vt & de bellua  
 diuersa, omnes auriti testes, ideo discor-  
 dant. Indi de poculis, inde elaboratis  
 miranda, quorum vsu quotidiano, abigi  
 mala, quæ afferunt mortem: Tu quid pro-  
 bas? L. Facile credidissem, si vel vnum  
 Regum immortalem habuissent. A. In-  
 esse

esse tamen vim admirandam belluæ non inficior. L. Imo & cornu raram, si cornu est, & non naturæ in visceribus terræ figmentum, vsui humano. Rarò sed in diuerso positu orbis, res reperta, quo loco monocerotem potuisse viuere, haud quisquam diceret; & captum quandoque non constat. feritatem causantur, ego potius quia non sunt dixerim. A. Sequentè triduo spectaculis aderimus, quibus non possum non adesse per consuetudinem, ne contemni populus videretur. Hæc libertatis mortuæ extat imago & sola: reliqua post triduum differamus.

## Dialogus Sextus.

*De Militiæ arcanis.*

AVcupium populi spectacula ludiq; . quibus continuo hoc triduo vacabam, opulenta

lenta vrbs aliter capi, & à solitis com-  
potationibus retrahi nequibat; arcendæ ege-  
statis remedium. Infrequentiam magnam  
vidisti, si videres priora: tametsi vltra octu-  
aginta millia spectatorum adessent. L.  
Magnitudinem circi mirabar, & quia vix  
tertia pars occuparetur, reprehendi sum-  
ptum. A. Olim de ampliando habitus  
Senatus, dum incapax ciuium: Bellis ciui-  
libus exhausta vrbe, & vulgus maluisset pa-  
nem, circus prope vacuus spectatoribus.  
Sustuli quæ reprehendebas nudiusquin-  
tus. letus vberiore pane & frequentior he-  
ri populus. Non habentibus quo emant  
è granarijs distribuendum mandavi, lege  
trium liberorum: rursus, saturati sitiunt:  
audisti murmur vocesque flagitantium vi-  
num? satis prouisum à genero meo Agrip-  
pa, perductis ad voluptatem aquis, ne  
homines sitirent. Nemo siti mortuus est:  
fames exitium, & pestis populorum. vi-

num voluntariæ infantiæ causa. iuxta vini  
 abundantia, quàm panis egestas nociua.  
 L. Qui blanditias odit, is mollia verba fa-  
 stidit. & blanda à veris discernere prom-  
 ptum: excandescentiæ, dum te mimus ap-  
 pellauisset Bonum Dominum, non perce-  
 pimus causam; cum fueris optimus. A.  
 Bonum an malum, me appellent, in mea  
 non est potestate, bonus debeo & volo es-  
 se: Dominatum aspernor, nec domini su-  
 stinebo appellationem, nisi sustulerim li-  
 bertatem & Rempub. Dij me perdant,  
 vbi mentem, ea impietate, contaminarem:  
 Si Cæsar Octavius Dominus, serui Roma-  
 ni. Monui filios meos, ne hanc ambiti-  
 onem Romanæ dignitati aduersam, vsur-  
 pent: Cæsaris qui rerum potietur, fruatur  
 nomine, Domini nequaquam, nam non  
 sunt, nec Romanorum est seruire. Deo-  
 rum, aut Dominorum titulis amotis, labo-  
 riosissimos vocari iubebo. L. Ingen-  
 tia



tia dicis ò Imperator, speciẽ magis, quàm vim apud posteros habitura. A. Virtus sufficit, si aberit gloria, & hæc interdum reuirefcit tempore. Patriæ libertatem affecto, reliqua ex euentu mihi. virtutem infabulis consistere censent, animo vel ingenio vili. Insistamus propositis inchoata continuando. L. Magistratus internis medentur, militia, externis antidotum, malis: vtriusque affliguntur ciues, aut peruertuntur Respublicæ, licentiâ. Expedito priori; Arcana militiæ dicenda, magna sane: suppressa, ne peruulgata vim suam remittant. Si cæterorum intemperies, militia stabit pro republica & tuebitur vitam, sed & hæc melior, vbi optimæ leges. Militiam disciplina contineri palam. exempla & experientia comprobauerunt. Magni imperatores, male obsequentem militem, exercitationibus & labore compescabant: segni otio multitudo putrescit,

crescit, & fit leuissima ad motus: labori-  
 bus robustior, & aduersus omnia solida. vi-  
 gent ista apud vos, nusquam magis. Igi-  
 tur, militandi, aut retinendæ disciplinæ ra-  
 tiones non adducam, eo præsentem, qui orbis  
 terrarum imperio potitus, gentiumque que  
 imperarant ante. sed vnde in diuersis Rei-  
 publice speciebus, militia sumenda. nam  
 quod malè assumitur, non benè succedit,  
 aut confundit reliquum. Athenis res ex-  
 perta, cum malè sumpsissent militiam. Ro-  
 manis inde morbus, sentiebatur magis,  
 quàm sciebatur. Sarmatæ huic malo nõ  
 obnoxij, Deorum prouidentia, quam suo  
 ingenio. A. Propera, & ad arcana acced-  
 de; vulgata, sciri poterunt, vbi decreue-  
 ro. L. In Aristocratico statu, quia vis  
 rei penes nobilitatem, plebs militiam non  
 capeffet. Alterum: In Democratico, ne-  
 mine excepto fiat delectus. A. Rem cõ-  
 cipio, vbi cognouero causam conquiescã.

Cur

Cur plebs arcenda in Aristocratiâ? L.  
Quæ nocuerunt, docuerunt; frequenter,  
quæ profuerunt, nocent. Plebis ingenia  
in extremis, vigent aut conculcantur: me-  
diocritatis nescia, prohibitorum auida,  
fortunæ nimia: exercita armis superbiunt,  
prosperis efferuntur: ingens eius copia,  
peruicax in audendo, quæ rationi non su-  
best. arrogabit sibi quæ derogarunt leges.  
ut sit pars, membra nequaquam publica.  
Is error Atheniensium Legislatoris, qui ple-  
bem à magistratibus seiunxit, militia ag-  
grauavit: malorum fomitem, qui incen-  
dium foueret, apposuerat. Quæ egregiâ  
Imperatorum virtute fiebant, peritiâque,  
plebs vsurpabat: toties assumptis seditio-  
nibus, cum in partes summam Reipublice  
pertraxissent, tum eandem peruerterunt.  
non potest rectè regere, ignarus parendi.  
A. Contemnere videris Democratiam, ti-  
bi, cum summis quibusque viris, proban-  
dam.

dam. L. Bona est, vbi cum legibus maturuerit; æmulatione comparata, non diturna; gliscit contentionibus & æmulis, cum vicerit, perijt: nam extra leges; & nouas, non suscipiunt superbi. antiquæ, recenti Democratix aduersæ. Romanus populus parendi ignarus, seruire adactus. ingentibus bello assumptis spiritibus, diu cum nobilitate luctatus, sese perdidit, vt perderet aduersos. ausus contra instituta plurimum, cum militia promiscuis delectibus, creuisset immensum. Proditum memoria. L. Æmilio Pappo, & C. Attilio Regulo conf. Gallico tumultu, absque internis auxilijs, nec transpadanis accitis, octingenta millia armatorum stetitisse. Iam exhausta bellis ciuilibus Italia, tu solus, vltra quadraginta legiones, contra M. Antoniũ copijs inferiorem nequaquam, eduxeras. Ingens ista multitudo. quota pars nobilitas? ex equitibus colliges; parte exercitus, &

tus, & potiore, & digniore, pariter Romæ atq; ubique; quæ tibi Romano non dicenda. Græcorum hinc petitas seditiones, potius adducere debebam, quàm multa superbus populus, contra magistratus & nobilitatē audebat; sed vestris insistamus. Exercita militiâ multitudo, suis viribus auctam & protectam Romam obtendebat. agrorum postulatio, occasio seditionis. Quippe onera penes populum, commodum, & decora, penes nobilitatem; odiorum, non iniustæ causæ. Apud Sarmatas, natura plus valuit, quàm tot apud Græcos disciplinæ. Græci non receperant rationes, Sarmatæ non recesserunt à natura, in libertate seruanda. nec confundunt statum semel assumptum regiminis, formamque, se regunt dum reguntur, parata semper nobilitate in vsurpantes Dominium: plebe dissueta militiæ, secura nobilitas. A. Vnde barbaris tantum Reipublicæ arcum?

T

num?

num? L. Si à natura dixero non errabo: si à Græcis accolis, profugis vel exulibus; propius vero. Zamolxis, Platonis, aut Pythagoræ discipulus, summus & ipse Philosophus, & Sarmata, quod in susurauerit, (qui popularibus pro oraculo) nisi temere, non abnuerim. seculo sciendi auido & incorrupta gente: nam corrupti præ cæteris sapientes contemnunt, ne probare videantur sibi aduersos. A. Pauci eius gentis nouerunt mores, suspicantur potius. cælo & moribus gens horrida, quomodo innotuerit tibi? L. Asyllum oppressorum, & liberorum receptaculum est. aut patria libertatis Sarmatia. Plures ibi reperias Romanorum, Persarum, Græcorum, quos recipiendo, immensum auxit vires, nobilitate; præcipuo Aristocratiae robore, ut modo timeant nullum. Alexander Philippi F. cum ad primum terrorem, gentem immotam accepisset, ultra non lacessiuit, ne ten-

ne tentaret inuictos, animosâ & copiosâ nobilitate. sciens primos progressus, famæ aut dedecori vicinos, faciliora tentauit: id mihi extorri & peregrinanti, innotuit. A. Ingentia interdum ingruunt pericula, & magnitudini non respondet paucitas: paucis, multa posse complecti dicendo; diuersa via agendi: labor prolixus, ingentes quasuis superat vires. L. Robur fit, non nomen exercitus, hæc est vis bellorum, Dux supplebit reliqua. cuius virtute inualescit miles, & vires excrescunt. Omnium seculorum quid opus, celebratis exemplis? Clara vestri Luculli, decem, è centum millibus, victoria. Consilium, ab Imperatore, hæc ipsius virtus, & belli fortuna. Potest & populus armari, in supremis Reipublicæ, sed seponi maturene inualescat, assumptis spiritibus bello: atque ne exuberaret perpendendum, quod perinde noceret, quamsi exteris tuis maiores

inducas copias. A. Multa paucis de Aristocratiâ, adstrue arcanum Democratix. L. Plebis hoc imperium. magistratus, non nobiliores, sed digniores hic gerunt, & vniuersis auctoritas, quàm quiuis tueri & vindicare debet. Enimvero impotenti magistratui incerta auctoritas, & irritum imperium. neque securus de vita, qui eandem cæteris adimendi habet potestatem. Arma in primis summis quibusque magistratuum dantur; cætera, vt ornamenta maiestatis. Nobiles suam auctoritatẽ defendant, diximus: populus sua iura, & libertatem. Securius in Democratia, admittitur militando nobilitas, quàm in regimine nobilium plebs, cuius maior copia, & belli onerum tolerantior; opprimere haud ægre, opprimi non semper; & audendi in plebem non quotidiana causa. Primordia Lacedæmoniorum arcani ratio. Parthenij militiã exerciti, excitis in con-  
iuratio.



iurationem Helotis, quo pares fiant cæteris, periculum fecerunt: præcognita & præuenta coniuratio; profugi, conditores Tarenti, corrigendi ostenderunt modū, quæ res publicis nociua. Se quiuis imitari debet, ne recedat, alios sequendo. in militia vis, hæc vsurpat aut defendit leges, sæpè quæ non habet affectat. Quicquid publici, in manibus militiæ est. Aduersis non sine periculo conceditur honor: nec nobilitati plebis auctoritas. seditione reprobandur cæteræ Rerumpubl. formæ: populus quia idem semper, immitabilis, vt & nobilitas, si æqualitatis alumna: quam, plebi retinere promptiùs, quia ambitiosa deserit, incumbit necessarijs. Perinde populus sua defendendo pertinax, quàm nobilitas aliena inuadendo animosa. Summa Rerumpubl. in militia consistit, quæ si vetera non defendit confundit omnia. Quotidianum ab internis periculum, ex-

terna facilius præuertuntur; & fidei annexi doli fraudesque, magis decipiunt. Non omittendum, facilem in Democratia militiam, paucis quæ ad vitam pertinent, sustentatur: mora interdum prodest, damnosa, vbi quæstuosus miles. Impetu validior nobilitas primo, belli diuturnitate restinguitur, & mox angustijs languet. Hoc præoculis habendum; nunquam nobilitas populum, aut populus solam nobilitatem nimium bello exerceri patiatur. A. Multa deinceps arrogas Democratia; mihi militia, iuxta populi ingenium, non probantur. Timidus aut superbus est populus, infelicia hæc belli omina, timere ac contemnere. L. Seruile vitium timiditas, non est liberi populi, qui vehemens & superbus nimia in fortuna, sed quia sine consilio audax, infirmus. Fortuna populum nimia frangit, cæterum animum non reprehendas roburque. Pharsalia documento,

mento, quam ferox in acie populus? ad supremum spiritum inuictus. solam deformitatem metuebat nobilitas, quæ cum Pōpeio vniuersa, & vilibus alimentis, infra-eta. Hæc sola militia, si securior Aristocratix fuisset. Armari apud vos seruitia prohibitum: né cum armis, libertatem capessent. Spartacus, quos per urbem Italianque excitauerat terrores? armis exercitatissima cum manu, satis exigua: eo ipso quia contempserat vitam horribilior. Quantum populo attribuas, tuam moneris fortunam. quid opus vim Rerūpub. scrutari. Et si quod melius est, Principem Reipublicæ præpone velis: prohibito mercenario, officiosum è ciuibus institue militem: auferes molimina dominatus, securitatem Reipublicæ confirmabis. Vana libertatis præsidia, segni & non exercita nobilitate, ciuibusue militiam: dulcedine otij corrupti, disueti armis, quæque potius subibunt onera, vel

ra, vel ipsas triremes. Nimum, disuetis & imparatis est onus, militare. Si libertati & Reipublicæ cupis, antiquam ciuium militiam reuoca, reuocabis robur decoremque maiorum. que aduersa libertati, aut ipsos machinatores, intra discrimen claudes: simul, & benè armatis ciuibus, & extra Principis imperium. Acrior cum sua defendit miles, ferocior cum libertatem, liberos, penatesque. Pater tuus, quanquam ad bellum natus oppressa Republ. postea malebat pacem, ne euocatis in bellum ciuibus, consilium, parandi sibi exitij, accerferet. mercenarium maluit vt emptum. Et dum, obtentu curæ ciuium, exterorum aut mercenariorum, opera utitur, ciues defidia corrupit, Pylistrati Tyranni sequutus artes. Sed cito resipuerat Græcia, inuēto remedio, arcanum inuenit docuitque: postea iners desipuit posteritas, studio augendi ciues, imminuit robur; intuta & infideli

deli militia, quæ in largitiones pronior: & largitores eâ abusi, cui prælati. His exemplis, fidelissimæ atque optimæ exolevit modus militiæ; vnica & maxima libertatis præsidia. Tu si dominatum mauis, habito Senatu, tua & militia auctis stipendijs, quod tibi promptum, potētis patris locupleti hæredi. Satis habes remediorum, non vi prohibendi arma, vt olim Medi euerfi. attere ciues ignauia, & dum redimēt militiam, attēua. vt aduertas, vtrumque dixi, quo magis corrigenda cognoscas. Solida hoc arcano libertas: si Princeps, nec Dominus, nec Dux exercitus esse potest. A. Mihi animus reddendi Rempublicam ciuibus, vt nobilitas ad magistratus, populus ad militiam pertineat. L. Quam sustulisti, restitues discordiam. Armatus populus, exuet obsequium, & exauctorabit nobilitatem: tui labores periculaque frustra. A. Corrupta nobilitas

tas, militandi impotens, fluxæ vires; de bello tantum inter conuiuia loquuntur. L. Dum cognoscis vitia, scitè corrigi possunt: non cuique obuium corrigenda cognoscere. hoc principibus vitio, non peruestigare, quæ publico iniqua. A. Militia post cætera corrigenda, & nisi præmissis exemplis: ne contumeliam sibi parari obtinens, atrocissima quæque arripiat. legibus aut moribus fit bona malaue, sed sine publici amore, facilè in partes secedit. L. Quod meruisti times: militiæ pretium mulieribus largiris, quæ, otio muliebri viuaciores, diu toleratam militiam infructuosam, reddunt: non imminuas reprehendi occasiones, viris virilia relinque. Ætate & sexu aberras, dum promiscue, precibus cedendo, largiris; non cuique viro- rum danda. Quis Africano Romano- rum magis emeritus? In eius gratiam nihil Æmiliæ concessum, filiove: quia mereri

non

non potuit. Antiquatis hisce legibus, vana militiæ spes; quia, quæ nec meruerant, viui, etiam post mortem per vxores filiosuè detinent. Quam obrem Reipubl: interit amor. vbi restitueris decora, reficies, vel reuocabis amorem. Pretium expletæ militiæ honos, quo frustrari contumeliosum: haud quicquam militiæ grauius. cætera vt infra contumeliã, ægre tolerãtur. lis quoq; qui perierunt, referenda gratia; amore reparabis amorem, labor stipendijs emittur. A. Prudentiã reficiuntur animi, vsus subuenit rebus. leuiores, & quæ periculo vrgent, non differenda. Fluxa militia Romana, facilius quam olim superatur, Germanorum mihi placet, armis & ordinibus insignis. nuper Varus cum legionibus contusus, & magis deflendum quia nobis, & Germanis inauditum. quorum vis ingens, exigua nostrorum manu non raro, cæsa fusaque. Temporum armorumq;

rumque habenda ratio: assumi faciam, quod usquam militiae egregium: validiores Romanos fore, ubi acciucro, quibus nunc infirmantur. L. Egregio polles iudicio, facta id adstruunt: praeterea, quia consilia requiris. in supremis tuo quaeque iudicio facito, ne tempora faciendi consultando amittas, Fortunae te, virtute duce committas, ubi non amplius consilij locus. Caeterum, amentes, impetu tanquam ratione feruntur, & cespitant, spretis futurorum consilij, dum admitti possunt. Armis militia perficitur, sua quaeque gens tractet, & quibus floruit, resumat: ita voluisse naturam ut distingueret armis, quos distinguit, ob constitutionem, moribus. Intermissa sapientia studiisque, rudis ad infamiam Graecia, in scholis quae docebantur, contemptui, & ludibrio in aulis: nec ut olim palatij Procerum familiare Philosophi, pessum igitur iuere omnia: bellorum aduersi.



uersi euentus, nouitati armorum imputa-  
bantur; quæ Ducum imperitia fiebant.  
Non telatet, omne tempus Duces, Craf-  
fos aut Leuinios; non omne Scipiones,  
aut Iulios proferre: nec tantum id Romæ,  
in Græcia, ubique verum est. Dum suæ  
puduit virtutis, aliena laudabantur arma.  
Hastas pro sarissis, scuta pro clypeis assump-  
serant Græci, leuitate armorum, hostilē  
fortunam causati. Conculcata Græcia,  
dilacerabatur, donec tempus Philopæmen  
produceret, peridonei ad hoc ingenij, si  
propter auctoritatem, adessent fortunæ.  
sine quibus, extra dignitatem inter corru-  
ptos. veruntamen, veteris gloriæ amor,  
præsentium pudore redijt; submissi vir-  
tuti & ingenio fasces. Summus quisque  
iuuit coluitq; Philopæmenē, hic Græciam.  
malum ab armis cæperat, genti naturæ in-  
suetis: orsus a viribus, vt laxatas, & anti-  
quis redintegraret, impares. Quippe, su-  
pererant

pererant gladij & sarissæ prioris æui, quibus præsentium non suppetebant vires: arguit igitur ignauiam, & exercitationes intermissas, allegato argumento, primam corruptæ militiæ originem. manu & animo bella constare, reliqua ex ingenio Ducis. Ignauī frustra vel perniciosè, alienos vsurpant mores & arma. Crede mihi ò Cæsar, si bos haberet alas non volaret: Refice, non immuta militiam, nam corrupes. illa sit tibi cordi, qua floruistis & experta. Romanam sequere virtutem, non alienam, quæ seruiuit vobis. Quoties vestras legiones Eques Sarmatarum afflixit. immane dictu, vt sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos, nihil ad pedestrem pugnam, tam ignauum & infelix: vbi ad equos peruenerint, vix vlla acies obstiterit. Inuicta gens, nisi immutata militia pedes in aciem descendat, & iam perijt. vires Sarmaticas euellendi is vnus modus

& arca-

& arcanum. Tempestiue, quæ audiuiti  
de Græca, id tuæ militiæ vitium, explora,  
deprehendes intermissam virtutem. Ple-  
rique armis aut fortuna, se superari cre-  
dunt, dum superantur virtute. Nihil in-  
mores sibi fortuna arrogat: dum Romani  
moribus, & armis florebant. nunc antiquâ  
proteguntur gloriâ, quæ hostium rabiem  
auertit. Si quando in aciem descensum;  
quam ancipiti euentu? vidisti: aperto fre-  
quenter Deorum fauore. A. Facile ad-  
stipulor, iisdem artibus & armis posse reti-  
neri, quibus cæpta sunt imperia. Non  
abnuo nobilitatem infensam & inuisam  
populo. malè in partem potentiæ admit-  
ti populum, aut arceri in Democratia. Hoc  
vnum velim dicas, priusquam præuenia-  
mur impedimentis, quæ melior? & vnde  
deligenda militia. L. In trahendo bello  
& ad cunctandum, potior est pedes, & su-  
stentatur promptius: intra montes geni-  
tus

tus fortior. summi quique Duces hunc preposuere, nec falso, quia experti. Natura tamen ut corrigi ita labefactari consuevit, crebris aut intermissis exercitationibus. validissimus qui promptam exercitavit naturam. Corpora statim apparent, mores curiosius venandi, demissæ & auctæ naturæ testes; nec decipiunt. nostri vestrique bellorum Duces, superuacaneis etiam laboribus intendebant, milites: ut disueti, necessarijs sufficere possint, usu robustiores. Desijt posse, qui diu, quod potuit noluit. Vestium quoque ad prælium, habebatur delectus ne color prodatur sanguinem, quo animantur hostes, sui consternari possunt, id etiam pro arcano habitum. A. Egregie edisseris quicquid assumis, & ni compertum habeam, præmeditate respondere credidissim. qui aliena nosti magis te domestica nosse præsumo. Famosa Lacedæmoniorum

niorum arma, Afriæ & Europæ per vastos  
& diuerfos ambitus circumlata. nec Afri-  
ca eorum expers. vnde potiffima fortunæ  
ratio? L. Legibus, quas nostri Rethras;  
quæ de militia scriptæ. seruandorum ci-  
uium prima, & præcipua cura, nec tantif-  
per placuit, perdere hostes, quam serua-  
re suos. Non pigebit aliqua afferre in-  
stitutorum. Primum, ne quis illegitimo  
tempore militiam capeffat, vt tolerando  
ineptus. Priuatim, in militia; publicè,  
dum perit, incommodo præmaturus miles;  
infrequentiæ causa. vanæ exercitus vires  
fi multitudine mensurantur. Secundum,  
Nulla fiat oppugnatio. apparet ratio, ne  
pereant ciues: perijt, qui crebrò suorum  
strage vicerit; iuxta, ac si sanguinem  
imminuas frequentius. Ingenti damno, &  
grauiore & dubio semper conatu, oppu-  
gnantur muri, nil animus iuuat virtusque,  
& parum à morte distat, qui se soli fortunę

concredit. Reliquis Græcis diuersum institutum, vobis non dissimile: Obsessorum multitudine, & alimentorū copiâ exploratâ; assumēdæ oppugnationes non qualicūque abundantia, numerosa sustinetur multitudo. mora cum prudentiâ tutior, & satis ad rem bono imperatori. Tertium. Ante plenilunium in aciem non descendendum: Admoue mentem, concipies. ne perdantur ciues, nocte pro die, vtendum in aduersa fortuna. victis tenebræ profunt, cohibent victoris cursum. Ciuium præ ceteris habebatur ratio, & amissio clypeo quia exigua se defendendi potestas, maximum dedecus. Apud vos, interemptorum decem hostium, quàm seruati ciuis, minus præmium. parum solatij excisis hostibus, semiuivo victori, supersunt alij, & incerti amici. Hac via res Lacedæmoniorum & vestræ ad summum perueniunt. Antiquatis istis legibus ambitione  
vniuersa

vniuersa fiebāt, in uanum leges & consilia  
 habita, hostis validior contemptu: ita no-  
 stra pariter & vestra corrui gloria. A. Se-  
 pius probatum, rectiūs ingenio quām viri-  
 bus expugnari vrbes, muniri tamen, vitu-  
 perasné? L. Nimia securitas labefactat  
 vires, vt longa pax muros. Fortuna cuius-  
 que belli, in acie consistit, campo infe-  
 rior, frustra differt aut opperitur, melio-  
 rem non redituram fortunam: differre  
 mortem, nimium vitę cupidis solatio est.  
 Spreuimus Athenienses cum longis muris,  
 dum ipsi cum Areopago sapiētes contem-  
 plisset: Viribus, quia consilijs destitutos:  
 Consilio perit, aut acquiritur victoria. A.  
 vnusné bellorum perpetuus Dux, an diuer-  
 sis, alij atque alij subrogandi? L. Singu-  
 lis, nouos institui Duces bellis, vtiliūs est.  
 Fortuna melior, & ingenium bellandi, si-  
 mul, plurium exercitationes, quærenda,  
 difficilibus & connexis bellis, artibus op-

portunis. aut inhibendæ inter ciues nimix  
 potentix. Quam profuit vobis, quia hac  
 in re sequuti fueritis Græcorum exempla?  
 obfuit, cum vniuersis gentibus, probatam  
 cōsuetudinem deseruistis. prorogādo im-  
 peria, periistis. Olim, non rarò in diuersis  
 orbis partibus bellatum, simulque & ea-  
 dem die, eueniebant Populo Romano, di-  
 uersæ victoriæ. Si id copjis adscripseris,  
 ab orbis terrarum consensu abscedis. nam  
 solius Ducis victoria est. A. Declinauit  
 tempus, oblectamentis inter seria vtēdum,  
 ne mens intensa rumpatur. Ponè Pala-  
 tium Circenses ludos abeamus videndos:  
 non contemnenda fateberis. L. Scio,  
 passim non in vanum institui. vsus equo-  
 rum spectatores docentur, nam vsus admi-  
 ratione inchoatur. In eum finem nauma-  
 chix, pugilationes, luctationes, & quæque  
 alia certaminum genera. Diuersi diuer-  
 sis accedunt animis, iuxta ac recedunt.  
 multi



multi tempus perdidērunt. aliqui quàm  
venerant, instructiores. A. Otium na-  
ctus mandabo te vocandum: modò inter  
Senatores mihi residendum annexus mihi  
esse non potes.

## Dialogus Septimus.

*Factiones publ: rebus perniciosissimas  
præcidendi arcanum.*

PRæteritis ludis quid obseruasti, quod ad-  
miratione dignum censes? L. Obstu-  
pui concitatissimos, tam promptè mode-  
rari equos. vsus supplet quæ obstruit desi-  
dia, exercitata nihil arduum virtuti. Obe-  
liscos mirabar, concepi elaboratos: figuris  
quia insuetis defatigatus, difficultatem non  
superaui. quæ eorum origo causaque cha-  
racterum. R. Ægyptiorum sunt ingenia,  
opus habet æmulos, figuræ nec exposito-  
res. Ignotas literarum vsus, dum imagi-  
nibus

nibus pro notis vteretur vetustas: tempus, nimiam eorum in significādo res, obliterauit superstitionem: quā infecta gens illa, à communi orbis terrarum sensu, variabat, ambigua pro speratis obijciendo. vt non conceptis, futura cluderent tempora; & vnum sibi vsurparent nomen sapiētum. Sunt vrbi illata triumphata Ægypto. L. Industriam superstitionem né, aut iactantiæ studium appellem ignoro: similia quædam vidi sed magis absurda, Sphingem Ægyptiam, vel capro subactam mulierem: propagata memoria magni viri natiuitatem, præsignificasse asserebat: atrocitati figmenti assentiebatur nemo, connexionē nec sapientissimi conceperunt. Africæ pars, nouitatum inuentrix Ægyptus, sorti attribuebat plurimum, & sine iudicio fortunę. Non asperror sortem prohibendarum factionum arcanum, sed non cæcam & quæ ratione caret. A. Quæ fors humani-

manitatis particeps? aut supra humanam conditionem? Fatumné? tot ac tantis infirmatum ingenijs, ob nexum causarum, aut vis Diuinæ in vniuersa efficaciam. L. varia de sorte multi, alij fatalem necessitatem: alij, in quibus ratio, consilium, temeritas, non valent, sortem appellant. eam inseruire Rebuspub. censeo, quæ temeritati non obnoxia, rationi cognato genere iuncta. A. Sepone ambages inter seria, est quod dicas. non exercemus ingenia, sed necessaria tu doces, ego disco. L. Non te latet, quàm graues in vrbe seditiones, Mario, an Syllæ imperium decernendum? Rapta in partes vrbs, temeritatem non rationem sequuta: populus in perniciem ruebat. Malum, afflixit ciues vehementer, non minus iuuantes, quàm aduersos. cui vtile, quod publico obest? Peiora postea, cum pro Iulio Cæsare, Pompeioq; studijs certaretur. nullus rationi locus, quam

quam corruerāt largitiones: rapta arma,  
 neutra pars, pro republica certabat, in vtra  
 que periclitabatur libertas. Vter eorū vi-  
 cerit, quid ad publicum? si vincatur alter,  
 de omnibus actum fuit, Domino victoriā  
 parato, quem diuersum hi atque illi male-  
 bant. Mansuram Romam, serato ambi-  
 tionibus ostio, aut cupidine populari. irrita  
 potentum cura, & studia emptorum, sortis  
 remedio. A. Scio omnis generis Comi-  
 tia corrumpi, emi vota, polliceri stu-  
 dia, aut præmia pro his: amplius nullus pu-  
 blico bonisq; locus: non Curiata, aut Tri-  
 buta, sola duntaxat Centuriata, remanse-  
 runt comitia. forte haud corriges, quos  
 non correxit ratio. auide tamen audiam  
 vbi ad rem accesseris. L. Sortem adhi-  
 beas, studia & ambitiones iugulasti. iam  
 sustulisti certamina, contentiones, rixas, o-  
 dia, inuidiam, inexorabili sorte: quo se in-  
 clinauerit, facienda dirimet. A. Ingerunt  
 se cr-

se errores nolentibus, fortuna rarò non errat. sæpius dignitates in indignos cumulat, nec audit, nec videt, vel fortè hinc eius dementiæ opinio, quia non discernit: porrigit obuijs, quotus obuiorum bonus? raro igitur bonis fauere videtur. Sorte reguntur qui desident, armari contra sortem operæ pretium. Diuersum omnino sentio, ratio in omnibus certior magistra. præstolantes fortunam perierunt. L. Experimenta dicis, orbis terrarum præceptis acquiescat, quæ dixisti: quo plus rationi, eò minus fortunæ loci: affligit aut decipit fortuna semper. Reprobata nec ego approbo, quam contempsi toties: adducam tibi sortem, egregia præditam ratione. quæ nequaquam errabit nisi hominum vitio. Præterea, discordias, odia, inuidiam, mala electionibus cognata, accommodabit, auferetque. Diuersum sentire, ægre ferunt ambitiosi. prætermis-

contemnise putabunt arrogantes. Non  
patrocinia, non sanguis, non præmia iuua-  
bunt, vbi eam, quam appello admiseris  
fortem. Donec in Græcia magistratus,  
aut publicis præponendi negotijs, forte  
deligebantur, tranquilla omnia; & publi-  
co consulebatur: deinceps, studia obli-  
gatorum cōmodis primorum seruebant.  
Pariter Romæ, Comitiorum die, Proceres;  
suffragiorum, ferendorum causa, manci-  
pia sua euocabant. quia diuersa imperia  
allata promouebant, in publico discorda-  
bant. quam frequenter copioso sanguine  
certatum? pro improborum Dominorum  
infausta, quia impia ambitione? Hæc pe-  
stis vestram, exedit gloriam. & dum à  
publico ad Proceres potiores ingenio auul-  
si, sine consilio Respub. commodo Primo-  
rum cedebat. A. Fac, cognoscam igno-  
tam, & infesta patrocinia desinant, vel ob  
hæc Superiorum vindicta. Electi acceden-  
tes ad

tes ad magistratus, Sacramēto exonerant  
suspiciones, sed augent vix expianda flagi-  
tia: reliqua consequuntur, nam periurijs  
ministrant; vtcunque virtutum, vitiorum  
certè indiuiduus est comitatus. Prima su-  
perorum religio, & fidei publicè auctora-  
mentum, retinēda. L. Miserrimam Rem-  
publicam vbi ista toleratur improbitas:  
nisi res humanas Dijs non esse curæ, aliquis  
crediderit: sed nullum scelus impunitum  
remāsit. Facile omnia auertes aut peruer-  
tes, hęc taliaq; , si hunc indixeris modum.  
Pares magistratui quotquot sunt, deligan-  
tur, ex ijs sorte depromendus vnus. Græ-  
cis vsitatus modus, Athenis prodijt, dein  
per orbem terrarum propagatus. Prima  
rei occasio, ex periculo, periculum. dissen-  
sientibus Græcis, cui belli Persici impe-  
riū decerneretur. non fuit perniciosæ di-  
scordiæ remedium, exitium prope, & iam  
ingruebat. Nemo sui detractor plerique

& ambigua iactabant, & prætermiffus cō-  
 temni videretur. communi quidem inten-  
 ti faluti, bonæ, fed interim periculofæ,  
 confuluerunt ambitioni: forti fubiecerunt  
 virtutem, ne ftudijs prælatus, cæteros ele-  
 uaret, nequaquam inferiores. Tabulas  
 per omnia æquales, totidem, nominibus  
 cādicatorum diftinctas, immittunt urnæ:  
 forte ad eam rem electus, quem depromit  
 primo, vniuerforū spontè, & cum applaufu  
 fit & falutatur imperator: ita difcordiæ  
 diremptæ, & abruptæ ambitiones. A. In-  
 ptè cafus ad confilia admitti, dum ratio  
 obnoxia errori: eâ non adhibitâ, grauiores  
 errores. Dixi errari non poffe, dum Can-  
 didati virtutibus pares, ratio præparabit  
 fortem prouidam, & haud quaquam ini-  
 quam. Diuerfæ etiam æquantur virtu-  
 tes, perinde peritia, quàm fortuna bello-  
 rum valent ad fuffeſſus. experta tamen  
 eſſe oportet. Exempli adducti præſen-  
 tia in-



tia instruaris: assentis, vbi deprehendas rationes; impellunt omnes, nisi supra humanam vim se sapere credas, aut infra ingenuos. elati, & abiecti animi, hæc sunt vitia. Humana; quæ obuenere hominibus, qui difficultate corruit, infra homines est, vt vinciente prælium. Si non concepisti arcani rationes, adducam: quo sis infensior prauitati, & dum corrigis mores, optimam instituis Rempublicam, erepta improbis ambitione, & impia dominandi cupiditate, quæ Diuina humanaque, iura violantur. A. Attentè audiam, & recordabor magis, perceptis rationibus. Moneor præceptis, rationibus instruo, quibus tametsi non indigeam, audire tamen aueo. L. Dixi alias, sed inculcanda in quibus momentum, quæ meminisse tantum commodum, quantum obliuione damnū. Non habes, præcidendi ambitiones corrupti populi, certiores modos: & inique

electi magistratus, ingens iniquitas. Potentum in primis obtundes vim, ne illicita audeant. A. quid rei in qua vis, & audacia potentum? L. Præcæteris, solliciti sunt, suo ex nutu depēdere omnes, vel populi maiorem partem, ut sint supremo non inferiores, terrori omnibus. confusionis id initium, & seruitutis origo. A. Magnum id; qua ratione assequantur? non reperio. L. Non ægrè infatuantur egeni, ubi in pretio luxus. Pariter potentiâ atque clientibus abuti potes, aptissimis quæ velis faciendi medijs; gratiâ eminentiores, vulgum panem saturando, vino propinato, ut ingurgitati, errabunt: multitudinem emptorum suffragiorum, inualescit autoritas, eligendi sibi obnoxios, & seruietes magistratus, frustra reluctantis paucis, qui publico fauent. Quæ maior in patriam impietas, aut in publicum dolus? suæ libidini omnium subijci libertatem? irrita studia sorte  
 ambi-

ambiguâ. nihil cuiquam debebit sortè electus: iustitiæ maximum iuamen. A. Magna sunt quæ dixisti, & quia experta, non ambigit mens. Aliquot retro annis die ferendorum suffragiorum, adeo copiosus è culinis potentum cructabat fumus, ut vigiles etiam terruerit; ad quem iumenta tanquam ad pabulum obuertebant oculos. Mirari satis non potui, cui commodo tot impensæ? quæ, nec absque infamia, cum posteritas hinc orta peruestigabit, incommoda? L. Validiores fiunt, hac viâ potentes domi, qui rebus gerendis improspicri foris. multi sine opibus, nemo sine virtute, licité creuit. Contendunt non nulli infami gratiâ, sed breui corruunt. tempus aut suprema cuiusquam, reuellant facta, mors certè omnium. sicut metu liberat, ita spem adulatium abrumpit. & oblecta detegit. Gilippus apud nos qui publico damno dituerat, egentibus optimus opti-

optimus; per fortunam, desertus; post fata iniustissimus iudicatus, quanquam re bellica non mediocris. Pericles apud Athenienses cum parum potuisset bello, populum demerebatur, & publicè retinuit sui opinionem, sed distractam. Crassus apud vos, domi potentissimus, bello ineptus, nisi quibusdam victoriæ eripuisset fructum: concidit, cum non potuisset, quantum est ausus. Non ita promptum vincere hostes, quam seruire paratis ciuibus imperare. Fortuna potētibus obstat, quæ nimia omnibus nocet: quia sine virtute, vana, hæc inimica diuitijs, quibus non cohabitat. Hic fructus laborum & impensarum, quæ, ambitiosa potētia aggerere velit & quærit: vt gubernaret cūcta, faueret quibus vult, & facile habitis magistratibus, fauet. cum excreuerit licentiā, magna pars ad vnum versa, talis metuendi supremis, fomidolosi omnibus. Flagitia mala sunt, hoc tamen  
pessi-

peffimum, quia publicè obest, & confun-  
dit ordinem, virtuti nocendo, cui honor  
debetur. Iam sortem intelligas, quanto-  
pere factionibus, & ambitioni aduersa, ir-  
ritis conatibus, & improbo suffragiorum  
mercato. A. Aduertisti quæ occulta. ea-  
dem nationibus vitia, virtutes pro cuiusq;  
ingenio, sed exiguæ. remedia quæ attuli-  
sti opportuna. Factiones eludet fors, be-  
neficio non imputabitur, quod sortè quis  
adeptus. Olim in vrbe preciosus is mo-  
dus, magistratum conseruabat Sanctita-  
tem: desertus tamen, quia potentia ad-  
uersus, virtuti aduersari fingebatur. vicit  
potentum auctoritas, ad suffragia descen-  
dendi, exitio & æmulatione famosa. Non-  
dum obuiatum est nobilium populiq;  
peruicacia, vulgare vitium est, nolle vel velle  
omnia maxime. moderari; prudētia fru-  
ctus. L. prope orbis terrarum, noui mo-  
res, & ingenia expertus, Græci decora or-  
bis,

bis, animis & ingenijs præclari, prospero-  
 rum, & aduersorum imitanda exempla;  
 quibus infiste. satis inaduersis cõsiliij habe-  
 bis, & industriæ contra noxios. Hos facti-  
 ones perdiderunt. grauissimum id malo-  
 rum, nec facile adhibebis remedium vbi  
 ista maturuerit pestis. Dorica & Ionica  
 Græcos turbabat factio, populo aduersus  
 populum, virtute bellica Ducibusque æ-  
 quali; nullo æmulandi fine, inimicitiarum  
 origo. nec satis vincebat qui vicerat, vi-  
 ctori duplicabatur hostis, accitis in au-  
 xilia, qui vtrisque infensi. Eo odij ge-  
 nere Lacedæmonij euerterunt Athenien-  
 ses. hi, Lacedæmonios lente & occultius:  
 quippe oppressa libertate gliscit odium, &  
 vltionis cupiditatem occultam, incendit.  
 Græciæ hoc exitium, in vrbibus natum: a  
 membris tarda interdum contagio, si a  
 principalibus vehemētior. Non improbo  
 æmulationes, & mundus segni corruisset.  
 amici-

amicitiâ. nec ambitiones perniciosæ omnes, modò malis artibus nemo crescat: fatis ab his improbitatis, & importuni publico, qui impares rebus. Nullus virtutis cliens se obtrudat, eâ florebit patronâ; neglectus, desiderio sui in aduersis, gloriosior. Sæpe amota & desiderata fors reuocabatur, amissum cognoscebatur bonum, corrigebant se & errabant semper Athenienses; sed post correctionem grauiores, si remeant errores, quia collapsa nunquam satis reficiuntur. Apud nos Spartæ, mali, aliunde initium: vobis, cum Atheniensibus idem. factionibus, & suffragiorum mercatu peristis. Athenæ publicæ, deinceps Periclis aut Alcibiadis, vel vtriusque, iuxta tempus & occasionem, empto populo, alter prælatus, alter desertus turbas ciebat. Romæ, quia fauebant, omnes errabant, summa ad potentiores deuenerat; & perierunt, quia melioribus debebatur honor & auctoritas.

Pompeij, & Patris tui largitiones, corru-  
perunt populum, vt quiuis suum in com-  
modum mentiretur; ita à ratione & maio-  
rum institutis recessum. Pater tuus con-  
tumeliosius rebatur, ab æmuli partibus  
pretermitti; quàm non esse inter Princi-  
pes, Pompeius: sed subijci recusabāt forti,  
ne irriti tot profusi sumptus, & obligata  
nobilitas. A. Compertum est, pestem Rei-  
publicæ esse factiones, atque ad publica  
mentè præoccupatâ accedere consilia. non  
animus publico, fænus refertur fæneran-  
tibus, in cæteris vtcunque, hoc omnium  
fænorum grauissimum, qui, & aliena di-  
gnatione, & publico feneratur damno.  
Auferam istas improborum cupiditates:  
forti non pecuniæ subijciam, quo suis digni-  
tatum gradus. arcebo promoueri partes,  
aut tueri vota. L. Res Romana vtriusq;  
fortunæ orbiterrarum exemplum, & tuæ  
curiositatis impultrix. sis artifex prospe-  
rorum.



rorum, magnus eris vbi turbarū & impie-  
tatis in conuētibus semina sustuleris; inde  
impedimēta, ne orbis incognitos ambitus  
cognoscas. ciues iniquos; nūquam impro-  
bā Roma experta fortunā: cum fas nefasq;  
mercarentur. Oligarchici status innatum  
vitium. A. Cras futura obibo comitia.  
non dubitabo informatum exercere ani-  
mum, in deligendo prætore. Curiatis id  
semper factitari instituem: quæque curia  
secernat dignissimum, ex ijs triginta sele-  
ctis, consensu eligi præstantissimos faciam  
denos: sorti & publico paratam, idone-  
amque materiam. Probabisné? L. Qui-  
nimo improbi quoque probare debebunt,  
vt nemo non improbat quæ nociua mul-  
tis, etiam qui damno alieno lætus. Senties  
breui vim instituti, redibit fortuna, & pri-  
or rerum Romanarum facies, vbi non fa-  
uore habebuntur dignitates. hac in re pu-  
blici cardo, & prosperorum summa. A.

Reliquo diei, cras facienda præmedita-  
 bor: ne vulgo nouitas videretur, consuetu-  
 euelli vitia. eripi, aliena beneficia sto-  
 lidum vulgus simulabit: sucti impijs com-  
 modis & lucro. Interim, animi causa va-  
 letudinisque, deambulabis; aut in thermas  
 descendens, iterum incommoda peregri-  
 nationis absterges. opibus & æmulatione  
 Regali, omnium vsui & commoditati fa-  
 bricatas, videbis. quo honore foris domi-  
 que ciues Romani habebantur, colliges:  
 vt par erat, gentium victores & orbis.

## Dialogus Octauus.

*Augendi populi, & potentia publicæ arcanum.*

**A**Gerrimè & coactu fors recepta obstre-  
 pentibus garrulis, prætextu dignationis,  
 qui iactant veterem nobilitatem: & rectè,  
 quia nunquam renouatam. L. Priuatis  
 libidinibus perdidisse libertatem Roma-  
 nos,

nos, hinc satis argumentorum. A. Ita perierunt. Mea inde dignitas cum loquuntur liberè: infame mancipijs imperare. L. Nobilissimus quisque bello haustus perijt, ecquis tam effrenis, è ruderibus superstitis nobilitatis? A. Camillus obstinatior fuit, egentissimus: sed obtentu vetustatis procax, quo magis emeretur. L. Eius ne posteritas Camilli, qui vrbe exturbauerat Gallos? A. Illa est, verùm nulla virtute insignis, & obliterated; auctior quia defidebat. Bellis, & fortuna publica, plures conciderunt familiæ: quædam ad extremam redactæ paucitatem. illustrant, non generant bella, viros. vno illustris, reliquis familia hæc ingloria. L. Palam est, exinanitam Rempublicam: vltimo præteritis ludis, circi prope vacui id testabatur. In copia nobilitatis robur Aristocratiæ consistit. ni habeas ingentem & copiosam Rempublicæ nobilitatem deficiet:

cies: in eā quam habes, hostium multitudine. id quoque ad arcana referendum. A. Populi & nobilitatis confusa nomina. quid censeam? impediunt. L. Non ubique populi & nobilitatis, discrimen. Democratia infelix nobilitate, sine populo non est. bono omine, si confunduntur. In Aristocratia fac distinguas. utriq; plebem accommoda. A. Assentior, sed augendorum civium non obuius modus. Sæpe vna hausit dies, quantum, nequaquam supplebit seculum: Etenim nascentibus fors vna, mortis variæ: & ante tempus, præueniunt frequentes mortalium. L. Intende mentem, fieri posse, quæ fuerunt, deprehendes. hære domesticis exemplis, urbium ruinis, vrbs vestra creuit, & asylla eam in rem inuenta. A. Memini, sed non conceperam, modò explicari velim. L. Tyrannorum atrocitas palam gliscebatur, oppressis, maior libertatis amor. asylla dome-

domesticis suffugia, vrbs exteris: sic vitam aut libertatem vindicabant. Creuit vrbs immensum ingenti aduenarum frequentiam, Italię primùm, deinceps Europæ, tandem vniuersi orbis Roma fuit compendium: & dum cuique honestorum pateret ciuitas, infrequentiam consultum fuit. Stoliditatis est despiciere ingeniosos, superbię deserre angustatos; & barbaris ingenita misericordia, præclari animi nota. Gratus Hannibal Antiocho, Themistocles, quisquis fuerit. Regi Persarum, plures cæteris, sed non vulgaribus. Thebanorum ius patuit Atheniensibus, cum à nostris contumeliosè habebantur, auctis eorum viribus, nostra inferior potentia. Crescas alienis malis; orbis vniuersus seditionibus exardescit. Diuulga, patere urbem honestis, libertatem ingeniosis, & præstantioribus. opibus & viris replebis

Rempubicam. Non contemnes monita,  
 ni contemnas homines, eosque egregios,  
 quales non habes in vrbe. Repudiata hu-  
 manitas, Atheniensibus fuit exitio: cum  
 sanguinem nimium venerarentur, peri-  
 erunt. Patebant olim exteris Athenæ,  
 elatior posteritas prohibuit recipiendos, &  
 vernaculâ non poterant subsistere arro-  
 gantiâ, quia irritarat plures. Syracusis &  
 Sicilia oppressis, populosiores & validi-  
 ores Thebæ, receptis qui effugerant. ve-  
 tustatis reuoca consuetudines, si vis reuo-  
 care virtutem. Quicquid egregiarum  
 habebat Roma Familiarum, aduenas fuif-  
 se constat: Iulios Albâ venisse, Corunca-  
 nos Camerino, Portios Tusculo, Balbos ex  
 Hyspania, vrbis & Romanæ gloriæ præci-  
 pua ornamenta. Bonus ille consiliarius  
 quem vtraque instruxit fortuna, futurorum  
 est directorium. hoc valeat si tibi nulla af-  
 flictorum miseratio. A. Necessitas labo-  
 rare.

rare docuit. meditati mihi infrequentiam urbis, is obreperat modus, Gallicam in urbem recipendam nobilitatem decreueram, metu Armenij & seditionum dillabentē. Reclamarant non pauci, tanquam incælum sine meritis nullum recipiendum. peruicatio contra rationes, & pro rationibus, futurorum nulla prouidentia. mouebar & ego, exterorum moribus, quibus sensim domestica imminuuntur. L. Vbi corrupta Respublica pessimi ciuitatis mores; nihilo deteriores, aut meliores aduenæ: restauratâ frequentiâ, resipiscent improbi, exemplis nouorum: noui, præteritorum recordatione, & metu meliores. Spartana austeritas, exteros non admittebat, nam laxior ubique; Athenis & ubiuis non prohibiti Spartani. Romæ nihil præter superbiam reliqui, humaniores, nationum, ceteræ. exempla frugalitatis inuitanda, ubi luxuriâ diffluit populus. Pro-

spera difficile tolerantur, quia emolliunt; indurant aduersa: quibus lassati tui ciues, redibunt antiquorum ad vestigia. aptiores, aduersis exerciti, virtuti: frequentia incumbas, vrbis & hostium ratio requirit. modi & occasiones crebrae corrigendi populi; secus augendi; & valde vrget necessitas. A. Vbi modestis, & egregij ingenij ista dixeris, conuiescent. arrogantes resistunt virtuti, vanâ sui iactantiâ, & pessimus quisque omni humanitati reluctabitur: contra virtutis reuerentiam. Rationes, nec modum contemno, sequar edicto: meum est ornare Rempublicam, intactis omnium commodis & libertate. velim dicas mihi; Spartana repudiabatur austeritas, & repudiabat exterorum mores. frequensne & satis populi? L. Spartani vim magis, quam imaginem militiae malebant; parci verborum, virtute pro Patria profusi & inuicti: militia non per vil-

las ex-



las explebatur, nec bellandi rationes ad  
 tabulam. Si fuerunt aliquæ, modestior  
 nulla nationum, & tolerantior malorum:  
 laudari auidi, eò in virtutem proniores.  
 Frequentiæ opitulabantur non pauca, præ-  
 cæteris, seruandorum ciuium cura. otio-  
 forum aulicorum, & cælibum prohibita  
 contubernia, ne sterilefceret Respublica.  
 A. Quid sibi id velit, quæso aperias. L.  
 Nōdum pacis vestræ detrimentum intelli-  
 gis? Nemo non sentit. publicè & priua-  
 tim, iniuriosissimas aulicorum cateruas.  
 Carnifices sunt alienæ modestiæ, & ad-  
 uersi virtuti. eos propter appellantur Do-  
 mini, & dirimitur Reipublicæ vinculum,  
 & nobilitatis æqualitas ciuiumque, tan-  
 quam diuersis. A. Scio impulsores esse &  
 instrumenta potentiæ, quid ad frequen-  
 tiam, vel infrequentiam? L. Socordiæ  
 exposita, verbosa illa multitudo, insueta  
 labori, & ingenij non exerciti. Perdidit

fructum vitæ, qui perdit iuuentam. segne  
 otium, vanis, aut malis erudit artibus;  
 cum alieno pane desidia paratur. Fructu-  
 osus labor futuris consulendo, presentibus  
 subuenit. dum vitij nullum otium, inua-  
 lescit virtus. Improbo vincitur impro-  
 bitas labore. Aulicam intueri vitam, turpi  
 socordia infamem videbis. sunt priuata  
 eorum vitia, sed communia, infesta omni-  
 bus. sine ingenio esse per ignauiam, con-  
 iugia exhorrescere, ne laborare cogantur:  
 & dum renuunt aut differunt connubia,  
 malè publico & frequentia consulunt.  
 A. Et res, & causa clara sunt vobis, facti-  
 tatum nobis fuit exemplo, post diuersas  
 clades, aut diuturna bella, connubia insti-  
 tutis legibus augere. me principe & aucto-  
 re lex abrogata, redijt. L. Igitur eo ma-  
 gis assentiris expertus, non exigua cælibū  
 incommoda. corrumpit sine talione. cæ-  
 lebs, hos vix probo, inde magna pars pra-  
 uitatis:

uitatis: sed cælibatus sanctus est. Non  
mirere nostram, sine vitijs Rempublicam;  
fatis habes causæ, vbi hanc penetraueris.  
Morum, non naturæ vitium, cupidine ha-  
bendi exardescere: nemo ad pecuniam  
natus. amorum incitamenta indidit nobis  
natura, moribus aucti inualefcunt. A.  
Rumpit claustra quæque libido, & omni  
atrocior hoste grassatur per urbem. cau-  
sam rei quam adduxisti admitto. Corrum-  
pantur Vestales, polluantur sacra, porten-  
ta oprimendę Reipublicæ dicebantur; e-  
go vindictam Deorum credo: non por-  
tentum, sed interitus causam. Conturbor  
non mediocriter, recentis piaculi atroci-  
tate, vt inauditi: sacrilego lenocinio, Iffi-  
dici sacerdotis, elusa Paulina: impoten-  
tem sui amore homuncionem admisit.  
Inauditum flagitium, quomodo expian-  
dum, templo & Dei ministris profanatis?  
Dissimulando rectius regnatur; nimium  
curiosi

curiosi insolubiles nectunt nodos, vitia donec homines, erunt. L. Si tolerare hæc constituisti, ne vis continentię fiat, cælibatum aulicorum prohibe, & illis suetam sordiam à connubijs dehortantem. non mediocriter augebis vires publicas, exercebis agros, loca inculta & vasta, vberri-  
 ma & habitata facies, sustinebis populi frequētiā, alimentorum abūdantiā; perpetua egestatis causa, agricolarum penuria. Italia vrbibus magnifica, non subsisteret, ni subuecto pane sustentaretur. Sarmatæ nullis vrbibus felices, inferendo non indigent pane. A. Agrorum potius id vbertati adscribas, non labori, qui sæpe irritus: & insolitam frequentiam non facillē subleuare. L. Malè de Dijs sentis, qui laborantibus non iniqui. Fertior quo magis colitur terra, prodest agris laboriosa multitudo. Ingens Italiæ vbertas, agricolarum non satis, vrbium frequentia: quæ  
 abri-

abripiunt viros, & deseruntur agri, quos passim incultos vidisses; & nisi quotannis magnam vim frumenti in uchas, parata discordiæ materia egestas: leuissima de causa famelici diffident. notæ bellicosis artes, dum hostes in discordiam agunt. Bene consulitur populo, dum urbanis prohibentur agri, ne mercatura, & artificia cessent: villanis artificia, ne agricultura flaccescat. A. Ecquid de militia? non ne corrumpit agriculturæ studium? L. Nequaquam, quia ingenia auget, vires utrasque exercendo. Nunquam militaris vacuus curis animus, intenditur prouidentiam necessariorum, quotidianam curam. A. Assentior augendi populi rationibus, & necessitati; pestes, fames, bella, magnam plerisque locorum attulerunt vastitatem: in vrbe, eius non apparent vestigia: metus externorum, aut diuersis variorum studijs, eò attrahentibus multitudinem. extrema

Italiae, tanquam agentis animam, remotiora membra, iam mortua, & ab hostibus occupari audio. Haud nescius sum, certissima, vastitatis remedia allata: sed in euellendis aulicorum gregibus laborare, est oleum & operam perdere, vel irritare crabrones: aut si profecero, præualidam, seditionibus turbam commouebo, alieno per seocordiam adhærere solitam; rabie corripientur, ybi deteriores eorum fortunam eferis. Adulta pernicies minore toleratur, quàm euertitur periculo. L. Difficile plantantur virtutes, vix & ægrè vitia euelluntur, & cum discrimine: sed timere semper, grauius, quam periclitari, vel mori semel. Et publicè damna, & priuatim iniuriæ, aulis eâ colluic plenis. vnus alterū metuit, quia securus nemo. Inde magnatū vis in conciuēs ingens, aduersus hostes exigua & incerta: exercitis tantum ad mensam aulicis, bello ineptis, pronis in-

sediti.

seditiones; copiosa nequitia prole, via nocendi patentior. Interdum non profuit publice virtus, quando non nocuit improbitas? cuius officina & mater, aulae. conuulsis, propagatur populus, laborque; virtutis & industriae alumnus. A. Qui paret virtuti, cedit rationibus: haud difficile assequor quod asseueras. vltra triginta milia in aulis otiosorum desiderare coniecturo, & penè scio. quam copiosam Coloniae materiam. publicis roboris gloriaeque decrementum? Ne ambigam, mandabo, restitutis Censoribus, aulicorum numerum peruestigandum: serius incumbendum, quæ, publicis suspecta periculis. Curâ & vigilantia, Respublicæ retinentur. vis & potentia prauitati cohabitant, & impellunt scopulis, aucta clientibus, perualida! Eandem rem, iisdem verbis, quibus olim Q. Metellus, ciuibus meis persuadere conabor: Obstinati, frangantur exemplo, &

verborum auctoritate, quibus cesserat antiquitas, & virtus: recentem populi penuriam, & otiosorum compertam, adducant in medium, turbam. maior in præsens populi penuria, & augendi necessitas. Hactenus dicenda in Senatu meditabor. L. Superest retinendarum virium remedium: nam frustra de habendis cogitas, nisi habitas conserues: nemo ditatur profusus, quod si iusseris edisseram. A. Fac lentè, & attentius: potior præsentium cura, industria futurorum quo rarior, eo magis laudata. L. Bellum, & amicitia, augēt, aut labefactant vires. bellis creuerūt nonnulli: vel perierunt qui nō sunt. Quos metuis, meditare, ne metuas, nullam intermittēdo occasionem occultè nocendi; dum minore periculo poteris, inuades. Non vnâ victoriâ potentior tollitur hostis, mutuo labefiunt vires; qui defecerit prius, victus est; etiam post multas victorias. Ab impotentiore laceffit,

intc-



integris incumbere viribus, non protrahas bellum, ne eueniant noua, & multis non sufficias. Amicitiam potentiorum vitabis, quia infidarebus eorum secundis, periculosis damnosa. Nulla est sine inuidia potētia magna, vt rarò sine bello: iuuandi, vel deserendi amicos crebra occasio. dum iuuas, robur tuum exhauris, quod augendi sit præcipua cura, militiæ copiâ. Aduersis potentiorum fructu. infidam potentum crede amicitiam, priusquam experiaris. Foue accolas impotentiores, iusticiâ, & pietate; vera hæc sunt inuitamenta exterorum; assiduâ consuetudine, tuerunt. Oppressi, nūquam fideles subditi: facilius victi, quamuis potentiores mitescunt. Incumbas augendis viribus; quæ pro magnitudine copiarum: ex ijs hostibus metus, tibi securitas. A. Reprobatur diuturna pax. quæ cum hominibus vitia auget, & non euelluntur, nisi euulsa turba. L. vi-

deo te magis formidare pacem, quàm bellum, respecta extrema Italiae, vastitas est, hominum inopiâ. Si eas manus, quas iuuantis amicis insumpfisti, eo vertisses, Barbarorum gliscentem, terrarum vastitate vim, inhibuisses, & auxisses robur; illa sunt latibula colligendis viribus, antè irruptionē opportuna. Non queras vbi sit bellum, vsquam non est pax, cōmunis te orbi terrarum expectat fortuna: si suffecerit tibi miles, fatis remediorum imminuendi. Illud meditare acrius, ne alienis auxilijs indigeas: incerta hæc consilia, contra certissima pericula. Bella non temere moueto, si pericula, aut dedecus non vrgent. A. Approbo, quæ ad propositum dicta, priuatim interim dabo operam. Primo mane, Religionēs meas continuaturus. quarum modum, & occasionem accipe. ver mihi formidolosa, & vana obijcit, reliqua anni tempora, futurorum præsaga sōmnia; quibus

bus commonefactus, me emendicaturum  
 ftipem; quotannis ftato die, id facio spon-  
 te, ne facere cogar. id cras sum facturum,  
 vt soleo palam caua manu: Eo facto pal-  
 mam inter iuncturas lapidum, ante domū  
 meam enatam, in Penatium deferam: Ad-  
 sis, vt augeas meū erga res Diuinas ftudium.

## Dialogus Nonus.

*An Princeps, ablato, & rursus armis recupe-  
 rato Principatu, hæreditatem quam non  
 habebat, usurpare possit.*

Latam de connubijs legem, accepisti. vt  
 actum, palam habetur. De aulicis variè  
 excipiebatur res. obtendebant potentes  
 speciosas, ne sint reliquis pares, vera fuit  
 causa. nonnulli dum metuuntur, retinent  
 auctoritatem; vani si exarmati, aut vbi vir-  
 tus, ingenium q; in precio fuissent. Firmi-  
 tatem Reipublicæ adstruebant, satis inue-  
 recun-

recundè, quia id exitio fuit. tēdio violentorum lassata Respublica, perijt. Principibus belli inexpertis, seditionum impedimento: dum timeri domi satis habebant, neglectui gloria. L. Variorum ea de re, diuersus sensus, pro ratione ambitiosi, aut seruilis animi. Rectè sentientium paucitas suffocatur, & paupertas honesta, inter potentes exauctorata, nec iuuat virtus. Perijt publici amor. quam multi, ne pereant publico fauent! summam Reipublicæ secum censentes. Repetuntur exempla iniquissima, optima prætermittuntur. curiosis nimium magistratibus, euelli cum licentia libertatem obiectant. licentia tamen iniuriosa, libertas cauta. Quod sentit quisque dicere licet, & facere vt velis, non quæ velis, libertatis beneficium est. A. Non adimo dicendi libertatem: adulatione vehementiùs lædor. conuicijs famosisque carminibus corripior, aut semet talium scriptores

ptores corrigunt, si dissoluti sunt; ne per ebrietatem euomāt, vel cum amoribus erūpant, quæ in abdito. Acriter proscindor sæpius, sed dum dicunt, modo mihi non faciant malè, contempsi. quinimo, compertos in caput meum coniuratos neglexi. Dij me perdant, si ex re publici non est, me Principem esse. cedo meliori; vel si ex me iniqua fortuna. Acerbissimum laborem, amor patriæ subleuat. Patria allatura mihi gloriam, aut dedecus perenne. à me vtriusque origo. Arma contra impios sumpsi, & profligavi seditiones. cumulat posteritas gloriam, quod victoriæ in Rempub. redundaret fructus, qui meus fuerat. Iure armorum vtendi, plus nimio habebam exemplorum, vt flagitiosorum, crebra. vix aliqua, quæ sequutus sum. Syl-la exsaturatus Patriæ fortunâ, & victorum ruinis, vim imperij cohibuit, perseuerare licuitné? L. Nemo vnquam, ius domi-

nandi sibi parare potest, pariter & male  
 faciendi: non licet abuti victoriâ quia do-  
 num Deorum est. nec satis causæ Syllani  
 belli: & si aliqua compescendæ Tribuni-  
 tiæ prauitatis, amisit causam insolentiâ vi-  
 ctoriæ, traductâ in vsum priuatû: Et fraus  
 intercessit, liberator vrbs creditus; ty-  
 rannus, adiuuabatur. improbe, tametsi  
 laceffitus, vsus est victoriâ. Suam Sylla  
 defendebat ambitionem, non Reipublicæ  
 vindicabat contumeliam. Maturuerat,  
 Sulpitij malignitas, cum potentiâ: dum ci-  
 uitatem, positâ in foro mensâ libertis & si-  
 milibus venditabat. sed dum publica; non  
 suam rebatur contumeliam: Maximam  
 iniuriarum suarum ponebat, imperio belli  
 Mithridatici priuari. Non debebat id gra-  
 ue esse, quanquam militari & belli exper-  
 to viro, cum libertas cōsensisset; tum quia  
 fuit iunior, publicis id testantibus monu-  
 mētis, quod nec licuisset supremis. Sed ad  
 publi-

publicam id trahere contumeliam improbitatis erat, & personatæ vindictæ. A. Improbare mea facta videris, dum per ætatem concipere errores, aut discernere cōsultores non potuisses: patris eo me impulit interempti miseratio: vt crederem, ambitioni obnoxijis. reduc, quæ sentienda & facienda sine errore. L. Publicam assumpsisti causam, progressum Dij secundauerunt. Violentiæ restitisti, libertatem, & Rēpublicam à supremis refouisti. Belli, allatam causam habuisti, victoriam ad publicum transtulisti: redditis resectisq; quæ eripuerat aut imminuerat Antonius. Tu solus quæ debebas fecisti, quæ poteras non commisisti. Quam multa possumus quæ non expediunt? posse & licere iniqui confundunt, qui in magna potentia discernit, Deorum subleuatur studio. Peior patris tui causa, malo fine improbata: non dissimile exitui initium. Nihil pro se cōtra

omnes audendum. multi tamen fortunæ impetu impulsī, rabie accenduntur. Nec ius, nec prætextum vsurpandi imperium, vt Sylla ita Cæsar, habebant. A. Potior Pater meus causâ: partium & Reipublicæ Princeps, & Gallos terrorem Romanorum profligauerat. hoc vnum satis ad imperium capeffendū, si digniori debetur. Ignotus Sylla, nec antè Nolanum exercitum, enituerat virtute aut ingenio: deinceps fortunâ in bello, domi potentiâ abutebatur. contra Cæsar prudentiâ in bellis, clementiâ domi insignis, nec deserri, à fortunâ, nec non amari à populo potuit. Modestissimus pater meus; ni ad innatam humano generi Dominatus cupiditatem recidisset, bellicosus animis ingeneratum vitium. L. Quam multas regiasque suffocasti virtutes: poterat & debebat plus quam præstitisset meritorum in Rempub. nihil eorum licuit, nec potuit plus, quam  
 exer-



exercuisset crudelitatis. A. Expertam illius perstringis clementiam, qui sibi quam coniuratis iniquior, nisi scias credasue, Deiotarum insidiarum manifestum, Marcellum conuiciatorem apertum, suis cum fortunis seruatos. L. Satis fuit crudelitatis esse & dici Romanorum Dominum, quibus id vltimum malorū, nec acerbius quicquam. Dominus laudari potest, Dominum nemo excusabit. Iniuria dicitur clemens, si crudelis esse nequit. nam clementia, seruientium amor est, magna quidem virtutum clementia, sed libertati insueta. Impiè aliqui iura Dominatus vsurpant, Cæsar nefariè inuasit, malignior quia posteritati, exemplum & prætextum iuris reliquit. Tu eiusdem impietatis heres iustior, tametsi præsis vnus: quod intererat pacis, consensus libertasque sanxit. Magis recepisti, quàm in imperium successisti. non datus sed vocatus Romanis Imperator es.

Fiunt non nascuntur reges. nec fors nascentium diuersa, secreuit subditos; necessitas fieri docuit. nuper beneficium, in hereditatem iusque trāsijt, esse Principem: improbam eam causam, Dij aut ipsa refutauit natura, inditis, aut non ablatis defectibus, quæ priuatis minora. A. Fatis destinatus sum orbis terrarū Imperator. Patria familiæ meæ, haruspicum responsis edocta vrbi æmulabatur, quoad apertis refragaretur ingenium portentis. audendo grauissima patiebatur; & ante me nō proficiebat. Aliena virtus alienæ accommodabatur glorię. sed nō locus virtutē, hæc, nobilitauit locum. Tanto cæli terreq; cōsensui, refragātur aliqui: dum occulte perniciosius. Abscedere, vel tueri dignitatem, ambigit animus: cum imperio immēsas deponā curas. is fructus, & ingratitude rectē imperantium. Habere qui me cōmendent & protectum eant meam dignitatem, improbi-

probitatis puto: factis & virtuti fidēdum.  
L. In est vis abrogandi qui dandi habebāt.  
spectabis eandem paritatem parebisque.  
vt imperiorum, ita & Imperatorum fatales  
termini, diuersis de causis auferri aut eri-  
pi permissa. Tarquinio apud vos, & ali-  
bi non paucis, quibus abrogata, aut refra-  
gantibus, erepta imperia: per omnes orbis  
ambitus, passim habes exempla. Tanti-  
sper corruptis ciuibus, refragari potes,  
quia prauitatis sensus vulgaris, vix pauci  
sunt boni: sed pericula ad te, ad publicum  
fructus redundabit victoriæ: confirmabis  
libertatē, eriges bonos, atteres improbos,  
Dijs hominibusq; placebis. Nuper huma-  
num fuit, nūc Diuinū tātum cēsetur, bene-  
ficiētia. A. Assentio: omnibus probatam,  
reprobo sententiam. domitis rebellibus,  
ius maius & hæreditatē acquiri. In prom-  
ptu causa, rei ex visceribus, & conscientia  
petita, incognita subditis. Quibus cōstant  
bella.

bella & victoria paratur, publica sunt: iniuria in aduersum vsurpabuntur. & vbi mentis aciem intendas, crudelitatis, & magna pars Tyrannidis, vel ipsa Tyrannis, sumpta cōtra improbos, in Rempublicam vertere arma. L. In verbis res latet, haud ægre tyrannidem fateor, vbi priora expresseris quæ compressæ de bello victoriaq;. A. Pecunia vbiq;, neruus belli. in ciuilibus, amicis victoria paratur. vniuersam vim meam, & arcanum imperij patefeci. Donec præsum imperio Romano, orbis terrarum opes penes me semper. ingens earum vis mihi ad manus & ad quoduis bellum satis: magna felicitatis causa. adde animum, etiam præcipua, perierunt qui prius decernunt bellum, postea de pecunia consulturi. Fallax spes, & cōtributiones intutæ rebus turbatis, dissociant, aut alienant. Si abutar in caput Reipub. cumulatâ pecuniâ, nulla Romanis libertas, aut se protegendi spes,

facul-

facultasque. L. Altiora te sapis, egregijs  
 ministris, innocentem retines animum. ad-  
 hibe improbos, cum sententia mutaberis.  
 dum ita propriam diiudicares causam, ali-  
 enæ, optimus censeris esse iudex. Vetu-  
 statis superstitiosa religio: nisi ambages ve-  
 ri occultatrices, locum hîc auctoritatem-  
 que habituræ: Salicem, eiusdem cuneis ne  
 rumpito. edicto, eam in rem incubuit, ne  
 impietas crudelitate excrescat. Nulla in-  
 ter insensata, maior inter sensata, impietas:  
 inter rationes participes, atrocissimum;  
 abuti alienâ gratiâ aut iuamine. A. Alte-  
 ram causarû attigisti. nihil sapienti deuium,  
 in prõptu queque futura, quia elapsa benè  
 trutinâtur. Alieno premor beneficio, hoc  
 fortunis impendet meis, ni beneficijs re-  
 pendam. M. Agrippa, & Marcellus mi-  
 hi pepererunt victoriam, eosné inseruitu-  
 tem abducam, quibus eam victoriam na-  
 ctus sum adiutoribus? ideonè iuuerunt, vt

perderent se? Magna pars Reipublice mecum fuit quæ potest vsurpare victoriam, non perinde hi, atque illi habendi. Illos propter, & improborum seditiosorumque civiũ sustinebo libertatem: cæterum ne ingrauescant bonis, aliquantisper fructum victoriæ retinebo. Impietatis videtur, ad seruitutem, tanquam ad triremes, omnes pariter condemnare. superstitibus, qui victoriæ & curarum fuere comites, & amici. Propter bonos, malis parcendum. L. Gratus es beneficiorum, æquior amicis, quàm inimicis iniquus: optimo Principibus exemplo; cæterum dum redamas, Reipublicæ incuriosus appares, quam neglexisses, ni gratiæ alienæ adligatus, habeas quod rependas. A. Prima mihi publici cura, netum licuisset abuti, è publico collecto thesauro. leges defendendæ, & reducendæ virtutes, publicis facultatibus. Prætextu, mea non promouebo, aut occasione,

sione, quæ malis principibus, trahuntur ad leges. Malignitatis, ipsa natura index: non vltra amissas inueniri res; quantum amisisti inuenies, si quæsiueris. Sed ambitio illimitata, libertas & bonum habent terminos. Tyrannus exlex, & sine limite, in omnes profert imperium; dilatum intenditur, iuxta tempus & occasiones, quod principatus primum artificium. Cui non suppetunt vires vindicandi tranquillitatem publicam, animus ué, deserendę sunt partes, vt graue onus, & principatus inanis. certius seditiosi desertatione componuntur, & intermisso imperio. Quid igitur censes, de famoso contra gentiles id temporis iure armorum? L. Pessima, quæque vt de Tyrannide vel iure prædonum, qui aperti aut occulti: armorum ius vtrique vsurpant. quia in alienum prætextus, & causa æqualis. Euanescit abrogatus magistratus, causam non pondera ad-

empti, dum sine causa oblatus. publicis  
parendum placitis, satis causæ, displicere  
vniuersis. Boni sæpè deseruere regna,  
mali concupiuerunt, pessimi occupaue-  
runt: & abrogatum, non habetur. Apud  
Lacedæmonios multi exauctorati, vindi-  
cauit nullus, valebat publica auctoritas.  
Persas natura aut necessitas docuit idem,  
vel exempla, & passim omnes diuersas  
sub sole gentes. Graue onus, ardua res  
& fortunæ subiecta, regnum; consultius  
deseruntur, quàm acceptantur imperia.  
Optimi Principis est contra seditiosos su-  
mere arma, publicam tranquillitatem bo-  
norumque innocentiam protectum iri, in-  
tactis quæ publica, aut quæ cuiusquam  
priuatim: facta ex suo sensu, corrumpunt  
causam. Veruntamen in dignoscendis  
seditiosis, publicè capeffendum consilium,  
innatum est, proprijs labi consilijs; qui  
multorum sensus sequitur, non errat; vel  
sine



sine errore succumbit. Nosti libertatis diuersos sensus, neutros malos, si priuata spe infracti. quos in vnum aggerere, summæ prudentiæ & inter primas necessitates est: ne abscessu in partes totum, rumpatur in multa. Aderam Persis, cum coronaretur Iazenedus, aduersante sed non præualente Siamekorum factione, & tanquam contemneretur, gliscente. Implacabile id malorum, publico perniciosum, Iazenedus censens; graue onus causatus, impositam coronam deponi petijt, aut alleari per omnes. Alter qui successerat, inualescente seditione, in partes diuisa Persia, ne seditionem foueret, abscessu regni coæquauit partes, deinceps in medium consulturas. Nolebat suâ fortunâ trahi omnes, in exitium, cædesque. A. Hæc vetustatis pietas iam exoleuit, alia nunc rerum facies, & aduersi mores. Olim Reges publici serui, nunc vniuerso-

rum Domini sunt, recipiunt coronas, nunquam redituri. Succedentes, inchoant, aut continuant successionem: qui vocantur, amittunt ius, ultra non reuersurum, semel placuisse, aiunt, sufficit, postea nociturum. percant aduersantes, pro libertate, aliunde euocandus populus vacuo post cædes regno: ita firmiora comparari Dominia, dum nihil, quod non tyranni superesset. Apud Lacedæmonios, nemo vsurpauit quod non licuit: successionis nō interruptam seriem, Reges vestri iactabant, hæreditatem vsurpauit nemo. necessitate creabantur, & exauctorabantur reges. iam passim cōsuetudine eliguntur, fessas eorū infortunio Respublicas, abscessu, non liberaturi; & si credas, nefas ante Rempub. perire. Non me sequi existimes quod reprehendo. Pacis causa capeffiui Imperium, non ademi libertatem. bono inquam omine quia profligata, seditio:  
tan-

tanquam infructuosum protinus deposu-  
issem, si nullum paci initium. L. Satis a-  
pertus tuus animus, factis non verbis pro-  
batus. præmeditatę quas attulisti rationes  
principibus notandę, te quantum posses,  
expendisse, & quantum licebat fecisse.  
Quid debeant patrię, à te consilium pe-  
tendum; discant qui delinquunt, & qui  
non minore flagitio largiuntur, quàm eri-  
piunt aliena: priuatus minus deberes, plus,  
quo superior quisque. Si filius es Reipu-  
blicę, cur ab ea pœnas requires? quo iu-  
re? vel cur manifesto scelere? Parentum  
filij, Rerumpub. Principes, imperio sub-  
sunt. Non vnus cervicis populus, simul  
iugulari nequit, quia nec debet. Equi-  
dem libertas, quàm vita carior, ferus qui  
vitam, Tyrannus, qui libertatem eripit.  
Causarum quas attulisti præcipuę: nec  
arma, nec è publico pecunia, in Rempub.  
vertenda. neque perinde amici quàm in-  
tensi

fensi habendi, vix in hos Dominium licitum; quanto iniustiùs? quorum operâ studioque profligata seditio, vel bellum ciuile; ambitiose inquit, vltra, quàm amiserit, aliquis. Tuarum rationum hoc compendium: virtutem eloquetur nemo. quæ deprauari adulatoribus nõ ita; promptior mulieribus: cõtra inuictos bello, hæc maxima machina. A. Senectutis id vitiũ, nunc immutandi vxores satis rationum habeo. ne immutar si fata prorogauerint vitam, præuidebo: remedium, sine vxore esse habebõ. L. Non est senectuti terminus: multi te manēt errores priusquam deprehendas, obnoxiam mulieribus ætatem, accedet & peruicacia, in principatu malorum supplementum. Artoxerxes Rex Persarum, diuturnæ vitæ decora, iam moriturus, ab vxore sibi eripi passus est, omnia ex imperio mulieris faciendo, contra vetustatis consuetudinem, ad minorem natu

natu filiorum, transferre regnum conatus, frustra; & non absque pernicie publica. Græca mater, nouercalibus, in priuignum odijs, accitis suorum auxilijs prope non euertit vniuersa: sed interim euertendi tam potens regnum, aperuerat media. Nates moresq; in vxoribus principum pendendi, sunt innata familijs gentibusque vitia; nihil tamen ambitiosius peius. Inepta bono, ad malum idonea mulierum ingenia. sed hoc ad imperij arcana pertinet. Famosa, Aspasia, quod nomen ob ministerij similitudinem, & reliquis impositum: magnis autoribus certaminis exitit occasio. A. Ponam initium senectutis terminum, non finem, qui est incertus, & obligabo Reipublicæ. mihi reseruato honore, reliqua publici iuris faciam, me præsentem decerni. L. Quis audebit contra maiestatem? non deerunt qui præsentem placere studebunt. Si tyrannus esse maui-

E c

affi-

affidebis concilijs, quæ displicent vt co-  
hibeas: si libertatem præbes, remouebis  
te, dando, quæ velit quisquam, dicendi  
facultatem, & decernendi quæ ex re li-  
bertatis, & Reipublicæ dignitate. Hæc  
sunt Rerumpublicarum arcana. Vniuf-  
cuiusque Reipublicæ propria, & Impe-  
riorum abditas artes, si Dij permi-  
serint maioribus expedituri.



# Errata.

Pagina	versu	lege
14	1	magna
14	3	Reipublicæ
21	8	iuventutem
23	3	dedita
34	17	Mecænatem
37	3	ignominia
39	13	peregrinantur
42	19	molimina
50	10	Respubli.
53	10	confluxerit
55	13	immodici
56	27	Thucididem
59	20	ulturus
61	11	occasio
63	8	militabae
65	19	effictam
70	18	Areopagus
70	21	adhibitio
72	20	inutilis
78	21	politici
95	15	quod
116	16	falso
127	10	non interruptis
141	13	immutabilis
143	15	præponere
154	4	explorata assumēdæ op̄;
164	11	pugnationes;
171	7	fit
178	11	peruicacia.
		<u>effeceris</u>

[Savinthus Fawndeus]

E. XVI. 195